



PTOLEMÆVS
PARVVS.







De ratione & vſu

DIERVM CRITICORVM OPVS RECENS NATVM, IN QVO MENS

tum ipſius Ptolemæi, tũ aliorum aſtrologorum hac in parte dilucidatur.

Authore Thoma Boderio Rhotomagenſis Diœceſis.

CVI ACCESSIT

Hermes Triſmegiſtus de decubitu infirmorum, nunquam anteà in lucem editus.



PARISIIS,

In officina Audoëni Parui ad Lilij inſigne, via Iacobæa. Anno Salutis,

M. D. L V.

Doctissimo viro D.

ORONTIO FINAEO DELPHINATI, DISCIPLINARVM MATHEMAticarum peritissimo, & regio in academia Parisiensi professori,

Thomas Boderius S. P. D.

INOLEVIT studiosis omnibus illa consuetudo (vir eruditissime) vt cum operã, & industriam in aliqua disciplina posuerint, que valde ad suorum ciuium vsum aut potius ad totius orbis commodum pertineat, communicent eos aliis fructus quos inde perceperint, ne sibi vixisse videantur. Quorum ego exemplo motus, cùm serio studium omne meum in syderali scientia posuissem, & aliquos in ea progressus fecissem, putaui me facturum quod esset è republica, si quod mihi experientia compertum esset, colligerem quasi vnum in fascem, & omnibus vtendum fruendumq; concederem. Collegi igitur, & tibi illud (quicquid est) sacrandum iudicaui, tum quòd vnus sis ex omnibus propter insignem omnium artium liberalium doctrinam, & mutuam erga me beneuolentiam dignus munusculo

tum quòd etiam meus hic (in re multis odiosa, licet fructuosissima) labor, minus inuidiæ subiturus sit, si tuo patrocinio fulciatur. Accipe igitur munus (vt ait eloquētiæ parēs Cicero) leuidēse & doctissimis oculis tuis nimis indignū, sed tamen ab animo magno, & homine tibi deuotissimo profectū. Vale & me si molestissimum non est redama. Lutetiæ vndecimo calendas Decembris.

1 5 5 4.



VM ego iam essem ætate affecta, & satis fœliciter versatus (vt multi de me iudicarūt) in philosophia iudiciaria, facturum me pretium operæ putaui, si eam disciplinam tam vtilem & præclaram, aliis quoque cōmunicarem: præsertim quæ à paucis atque adeò quæ penè à nullis intelligatur. Nec me à studio publicandi labores meos retardauit quorundam obtrectatio, irridentium hanc artem tanquā vel ridiculā vel etiam noxiam: sed me impulit potiùs ad editionem veritas ipsa, qua constat nullam ex omnibus artibus tam insignem. Rerū autē naturaliū doctißimi pariter ac probatißimi viri, scientiam esse arbitrati sunt: fœlix enim à poëta pronūciatur, qui potuit rerū cognoscere causas. Quid enim melius, quid homini conducibilius, aut vtile magis quàm ipsarū rerū cœlestiū cognitio? Quid enim cœlo nobilius? aut eius inquisitione præstātius? Itē quid admirabilius quàm hominē in remotißimis à cœlo cōstitutū locis, ad cœli ipsius & stellarum quæ cœlo feruntur secreta penetrare? Galenus in suis tribus libris de diebus decretoriis, ostēdit quāta ex hac arte & diebus decretoriis cōmoditas medicinæ operibus accedat, etsi stellarum motus non solùm non ad Hippocratis sed ne ad Galeni quidem notionem peruenerunt: in primo autem horum dierum nobis tradit, quando dies septimus opportunè est successurus: interim nullam medicamentorum formulam (quam receptam vocant) medicus concinnare debet, ne errore commisso iudicium in die septimo ad quem paratum erat, fieri poßit: quia natura (vt refert

Hippocrates) omnino ſufficit. Plures dignoui ægrotos quibus die ſeptimo fœliciter ſuccedere debebat, ſumpto illa die medicamento, morbus concaluit. Quapropter cùm quiſpiã ægro alicui euentum prædicit, iubet cum hac diſtinctione faciendum: huic morbus iſto die ſoluetur, ſi victus ratio primum à ſe & non ab alio quodã medico regatur. Propterea tertio libro ſuprà citato peritè atque elucubratè dicit præuenire criſim (id eſt præſcindere) eſt pernicioſum: nam idonea ſimul cum iis quæ lædunt excernuntur: fitque hoc natura incitata. Ideo nec ineptè nec inſipienter dicto primo libro ſentit, qui exactè præſagiet vnà & curabit: natura enim (vt refert Galenus poſt Hippocratem) ſufficit. Occurrunt mihi hîc verba dicti Galeni libro de decubitu infirmorum ſcripta, quæ nunc narrabo, Cùm luna eſt in ſigno cancri, hora cœpti decubitus, malignos & difficile ſolubiles morbos, quibus ea remedia & curæ quas crederemus profuturas, magis nocebunt. Quapropter dum hora decumbentium ſignum cancer fert lunam, à medico cogitatione perpendi debet, inſuper pharmaca à triuiali medico ſunt ſpernenda. Profeſsionem medicam deſpectui minimè habeo, nec medicos haud imperitos vitupero, ſumma enim laude digni ſunt, vt humani corporis curatores alioqui à veritate abalienarer. Ex annotatiunculis præcedentibus facile iudicatur præſagientem morbo in oppugnando opem ferre. Pluribus prædixi ægrotantibus tetragonum aduſque triangulum, diametrum, aut alium aſpectum, pro rei exigentia, nullam diem fœliciter ſucceſſuram, interim vt mihi referebant dicti ægroti morbo reluctabantur, leuiuſque

morbum ferebant, ac eis ſubueniſſe meum putabant iudicium: dein qui victuros morituroſque præſenſerit, mortis crimine carebit. Igitur Hippocrates dicit optimum eſſe, vt medicus prouidentiam, ac præſagiendi ſcientiam ſectetur, quia medicinæ pars nobilior eſt: quæ acquiri minimè poteſt, niſi ſtudioſi hanc phyſiologiæ artem diligentiſsimè excutiant ac planè deuorent.

ΙΑΚΩΒΟΥ ΤΟΥ ΜΩΥΣΙΟΥ ΕΙΣ ΘΩΜΑΝ

τὸν Βοδέριον ἑξάστιχον.

Αἰθέρα Πληϊάδων ὤοντο τοκῆα φορῆναι,
 εὖ γὰρ τὴν διδαχὴν ἤδεεν ἀστρονόμων.
Καυκάσῳ αὖ ζευχθέντα Προμηθέα φράσαν ἀοιδοὶ,
 κάλως, οὐρανίους ἤδεε καὶ ὧδε δόμους.
Ἀῶστα σὺ ταῦτ' εἰδὼς οὐ μοῦνον Ὄλυμπον ἐνεγκεῖν,
 Ἄρζε δὲ πιστεύῃ οὐρανοῦ ἐξιέναι.

CAROLI ACHAEI IN THOmam Boderium authorem Epigramma.

Ridetur neruum repetens citharœdus eundem
 Nec mulcens variis carmina docta sonis:
Ridetur recinens longum cantata per æuum
 Carmina, quæ potuit scire vel Iapetus.
Te luces criticas, longósque intacta per annos
 Dantem, mirandum cana senecta facit.

Pars prima, de ratione DIERVM CRITICORVM,

Vbi primùm oſtenditur, quòd Aſtrologia ſummè neceſſaria eſt medico.

POST præmiſſarum iſtarum poſitionem hîc ſubiungemus verba Hippocratis medicorum omnium citra controuerſiam facilè principis, in tractatu de criſi, & hora decumbentiũ, quæ ſic ſcripta reliquit, vt Georgius Tãſteterus prędicto Hippocrati aſcribit. Cuiuſmodi medicus eſt qui aſtrononiam ignorat? Nemo manibus illius ſe committere debet, quia non eſt medicus perfectus: eſt enim tanquam cæcus viam baculo examinãs, nec medici nomine decorari meretur. Nemo quidem poteſt eſſe perfectus medicus abſque rerũ cœleſtium peritia (quod ſole meridiano in capite libri de decubitu infirmorum clariùs oſtendit Hermes) & eorum quæ luna in corpora humana agit. Quanuis acrem ſtomachum pleriſque quodam liuore motis, & qui huius artis ſubtilitati ſuccenſent, vt hanc ad cognitionem minimè aptis facturus ſim, nihilo tamen minus eloquar quod veritas ſuggerit. Quicunque in medicina ſe exercent phyſiologiæ ſeu philoſophiæ iudiciariæ ignari, horũ animus inquit ipſe Galenus in fronte opuſculi de decubitu infirmorum in tenebris perpetuò oberrans conſeneſcit: & nõ ſolùm non rectè agere, ſed etiam plurimùm decipi dicit. Adhæc ſi decubitum infirmi diligenter explorauerint, vberrimam ſuæ artis frugem ſunt accepturi, præcognoſcẽdo ac prædicendo ea quæ infirmis ſunt euentura: & tandem dicit Galenus diſquirere debent genituræ figuram: ex ea enim ſingula exactè cognoſcuntur, quod & aſtronomis in confeſſo eſt. Nunc mente cogita, quemadmodum hęc nobiliſsima ſcientia ſummè neceſſaria eſt medico: Ga

lenus libro octauo, de ingenio ſanitatis, cap. 20. (vt nobis Geruaſius Marſtallerus citat) dicit quod medici aſtronomiã ignorantes ſpiculatoribus, & homicidis peiores ſunt, neceſſaria ad medicinam requiſita nõ cognoſcentes. Sed heu miſerandum: nam eorum negotia corpus hominis reſpiciunt, negotia verò aliorum externa corporis: Galenus libro tertio, de diebus criticis dicit, quòd regimen huius mundi & viuentium eſt à ſtellis, & maximè à ſole & luna. Hermes aphoriſmo primo ab hac ſentẽtia minimè eſt alienus, ſic ſcribens: ſol & luna poſt deum ſunt omnium viuentium vita. Quod de hac contemplatione reliquum feci, id in vniuerſum in ſequentibus exequar, vbi de intelligentiis pertractabitur.

Quando dies ſeptima eſt feliciter ſucceſſura, hactenus regulæ in abditis delituerunt.

Demonſtratum eſt ſuprà quando dies ſeptima eſt optatè euentura, ægrũ pharmacum refugere debere, qua nãque ratione quibuſue regulis obſeruandis iudicatio fieri valeat, ſcriptorum nullus (quorũ memoria habeatur) methodum hactenus pręſtitit. Igitur hucuſque in abditis delituerunt dictæ regulæ.

Pro his diebus, & infirmorum decubitu iudicandis dabuntur præceptiones.

Hanc ad materiam ſpectat apoteleſma Ptolemæi centum ſententiarum, cap. 60. dicentis. Super ægrotis dies criticos, ac lunæ peragrationem in angulis figuræ ſexdecim laterũ, inſpice: vbi eos bene affectos inueneris, bene erit languẽti, cõtrà malè, ſi afflictos inueneris. Interpretari ſtatuimus ac vnũ accommodare commẽtariolum, quo arcanum ſententiæ illius Ptolemæi oſtendemus à veteribus haud penetratum fuiſſe: veriſsimúmque figuræ ipſius Ptolemæi

Ptolemæi captũ, & illius qui fabricatur pro latitudine regiones docebimus: dein pro his diebus ac de decubitu iudicãdis, præcepitones trademus: quæ omnia ex vſu & ſententia ipſius enunciati deſiderantur, vt artis cãdidati omnem dicti enũciati induſtriam, ac bene cœpti decubirus, & dierum ipſorum naturam & theoremata, ſine ſophiſtica perplexitate complectantur.

Cuiuis diſquirenti hanc artem, magnæ curæ eſſe debet horam decubitus habere.

Imprimis hanc philoſophiæ partem cuiuis diſquirenti magnæ curæ eſſe debet, vt dictam accubitus horam (id eſt quando æger ſe perſpicuè &, quod dicunt, ſenſibiliter ſentit offenſum, & viribus deſtitutum) habeat, vt decubitum iudicare valeat: pro hac noſtra doctrina accedit autoritas Galeni quum ſcribit, initium morbi putandum eſſe quum manifeſtò febricitare incipientes, decubuerint: non autem dum ægrotare incipiant: ſtantes adhuc in erectum, aut è capite laborent. Non idem ſibi vult capitis dolor, & febris: verumenimuero non deſunt qui huius artis inſtitutores in hac ſententia fuiſſe dicunt, vbi initiũ morbi memorant, & potiſsimùm Haly perdocet maleficos planetas in aſpectu lunę vel eius domini angulos capientes omnino eſſe pernitioſos: quod nos veriſsimum multiplici comprobauimus experientia, vtroque malefico cardinante hora decumbentium educto cœli themate: quod noſtræ figurę cœleſtes notiſsimę reuelabunt. Abrahamus Auenesra rerum cœli interpres peritiſsimus, libro de cognitione dierum criticorum ſcribens: ſi luna fuerit curſu velox attinet ad quartum, poſt ſex dies à principio morbi in quo iacuit in lecto: iis verbis ſeipſum interpretatur etiam luculenter. Morbi initium à decubitu adſumẽdum affirmat penitiſsimè, ex totóque Hermis ſummi aſtronomi, Hippocratis, ac Galeni vnanimis eſt ſentẽtia in præ-

dicto opere de decubitu infirmorum, Aegritudo(vt attestatur Georgius Tansteterus Galeni consideratione fretus)cuius initium ægrotũ latet,est relinquenda, prædictũ initium est minus facile (pro ipsius Georgij opinione) quæ ad artem medicam attinent ipsam initij ęgritudinis horam adsequi interim non fuit mihi inuenire promptum ac facile,nunciis rectè simul & diligenter instructis ac pro sensus nostri iudicio oculatis ad ipsos valetudinarios misis,horam decubitus venandi gratia:veritate mihi neutiquam renũciata,atque hoc processu temporis per hos dies comperto,inscitia aut negligentia dictorum nũciorum ad ipsos lãguidos ire me compellebat, quo ipsum morbi initium indipiscerer: quod accurata opus habet diligentia. Ad illud horæ & principij ægritudinis expendẽdum attentissimus semper fui, & quod est attentè pensitãdũ atque obseruãdum, alioqui tota aberrabis via & effectu defraudaberis desiderato.

Modus eligendi horam decubitus.

Nonnunquam aliqui malè se habentes, ac paulisper decumbentes pauco pòst tempore erecti fatigantur, dein asidui paucis pòst diebus accubant. Superest iudicare an primus decubitus an secundus pro morbi exordio sit capiendus, si autem in primo accubitu æger sentit se notabiliter offensum ac viribus destitutũ,primi decubitus hora pro morbi initio est capienda, non autem secundi decubitus hora.

Plerique horam decubitus rectificare per annimodar, id est, per inuestigationem gradus ascendentis conantur.

Plerique fabricata cœli figura tempore æstimato obnixè decubitũ rectificare per annimodar, id est per inuestigationem

gationem gradus aſcendẽtis pernituntur: de quo in aſtrologorum libris copioſè tractatur: iccirco hoc loci de hac rectificatione copioſiùs dicere nihil in re noſtra eſt, nec prolixiore nobis excuſatione opus eſſe cenſeo.

Opuſculum Galeni de decubitu infirmorum ad horam decubitus aſſumendam conducit.

Prædictum opuſculum de decubitu infirmorum ad horę illud eliciendum adſumendúmque conducit: exemplũ huiuſce traditionis hîc apponam, vt res notior fiat: quod magna attẽtione obſeruauimus. Quidã iuuenis febre aſsidua manè vna die ſabbati hora 10. decubuit ſaturno iaculũ ſuũ de quadrangulo in lunam retorquẽte in libra poſitam, amici huius miſeri ægrotantis, de hoc ad me retulerũt, primam morbi occaſionem à nimia potatione & crapula ortum duxiſſe enarraui: quia luna decubitus hora libram permeabat, ſaturni prædicta radiatione lęſa: cauſam morbúmque prædictum indicans, vt apud eoſdem Hermem & Galenum legitur, loco ſupra citato: quod eis in confeſſo fuit: quoniam die lunæ prædictum ſabbatum præcedente perpotauerat, ac vino obſtupefactus abhinc è capite laborauerat, cum quadam corporis fatigatione. Dolor autem capitis iſtius miſeri valetudinarij vt conſtat febris minimè erat: nec idem ſibi vult dolor capitis, & febris (vt poſt Galenum prædiximus.) Prædicta verò febris, morbi initium erat, quia per morbi exordium apparet quando morbus eſt lethalis, minimè per primum inſultum: niſi in dicto primo inſultu æger decumberet, & notabiliter ſe ſentiret offenſum: ideo decubitus pro virili vt prædictis Hermeti, Hippocrati, & Galeno placere video à prudenti medico circunſpectandus eſt.

Hora decubitus incognita omnia artis medicæ pereunt.

Inſuper prædicto libro primo verißimè Galenus ſic ſcriptis complectens nobis tale dat exemplum. Putemus morbum inuaſiſſe ægrum hora decima, ſed nona contigerit, quod hoc attinet ad dies decretorios: in hoc artis medicæ opera pereunt, quòd ægrotantium nonnullos vna hora latuit.

Medicus ſcire debet quomodo mundus ſit affectus.

Die & hora decubitus diſquiſitis, medicus animaduertere debet (vt tradunt Hermes & Galenus in poſtrema parte prædicti tractatus de decubitu infirmorum) quemadmodum mundus eſt affectus, ſine cuius conſenſu nihil vſque fieri poterit, id quod per dictam figuram ad latitudinem regionis erectam facilè perpendi poterit: nũc oculis cernere potes quomodo Hippocrates & Galenus habent aſtronomiam ſimul iunctam in omni medicina: id quod diffuſiùs oſtendit potißimùm Galenus, in prædicti opuſculi fine de decubitu infirmorum.

Quæ cauſa hi dies dicti ſunt critici.

Ipſi autem dies dicti ſunt critici perinde ac iudices ſint, ſiquidem illa ipſa decubitus hora naturam aut morbum victorem fore decernit, ordiníque decretorio annumerabitur, ſummíque ac primi iudicis loco habebitur: cui aſtipulatur Diocles, dictum primum diem annumerans decretoriis, vt ex primo libro iam dicto cuiuis diſcere integrum eſt. Criſis eſt iudicium: tranſlata verò eſt hæc vox à iudiciali foro, in quo ſanè vt inter accuſatum & accuſatorem atrocißimum duellũ exiſtit, vnus vincit, alter ſu-

peratur

peratur pro iudicis ſententia: ſic etiam morbus & natura inter ſe pugnãt, vt ſubinde æger ſimilis ſit illorum qui in iudicio de morte aut vita ſententiam expectant. Sic ſi cœleſtis defluxus ope, natura vincit, criſis dicitur bona & laudabilis: ſi morbus vincit, dicitur mala & pernicioſa. Hæc materia à Luca Gaurico aſtrorum interprete ſagaciſsimo fuſiùs examinatur.

Angeli ſunt noſtri cuſtodes, & miniſtri & mandatorum diuinæ prouidentiæ executores.

Ne verò id quod vtiliſsimũ eſt omittatur, cognitu perpulchrum erit, quod Galeuus poſt Hippocratem noſtros medicos naturæ miniſtros appellat, qua è re medicos in cœlo collocatos dico, tametſi ſummus opifex, & prima cauſa omnia regit, & diſponit, curam tamen exequendi ſuis miniſtris diſtribuit. Habet enim ordo diuinæ prouidẽtie (vt teſtatur beatus Anthoninus Florentinus titulo. 31. tertia parte Summæ) vt inferiora regãtur per ſuperiora, homines per angelos, ſunt enim noſtri miniſtri & cuſtodes, dicente propheta, angelis ſuis deus mãdauit de te vt cuſtodiãt te in omnibus viis tuis. Et Paulus ad Hebręos. 1. omnes ſpiritus adminiſtratorij ſunt miſsi in miniſterium eorum qui ſalutis hæreditatem capiant. Quidquid per intelligentias ſeu per angelos tanquam per miniſtros exequitur ipſe archetypus & ſummus creator, ſicut fuit de angelo Sodomam & Gomorrã exequente, & altero qui vna nocte occidit 185 milia hominum, de exercitu Sennacherib, ſimiliter de angelo qui occidit gladio peſtis, 70. milia de populo Iſraël propter peccatum Dauid. Ex hoc patet angelum in bonos & in malos animaduertẽdi facultatem obtinere, ac diuinam prouidentiam ſuos effectus per medias cauſas executioni demandare. Vnum aliud ex commemoratis conſtat, angelos eſſe nocentes, etiã aliquos eſſe fauentes. Id facit per cœlos & ſtellas tanquam per inſtru-

menta, vt hoc pacto omnia in miniſterium cooperantur, ab angelis ſuſcipiunt cœli quod influit, & illi à deo: qua è re (ſi beato Anthonino Florentino credimus, loco paulo antè citato) naturas rerũ propria virtute immutare nequeunt, quia hoc dei eſt proprium, nec aliquid contra dei conſenſum poſſunt: aliqua autem circa ea miniſterialiter ſeu inſtrumẽtaliter operãtur: ſunt enim ex imperio ipſius diuinæ prouidẽtiæ orbium & planetarum motibus (quod etiam ipſe deus ſine ipſis poſſet) præpoſiti. Et ne ſutor vltra crepidam ſapere videar, ad noſtram diuertamus profeſsionem.

Sunt ſeptem rerum gubernatores & iſti re vera dicuntur medici.

Sunt enim ſeptem mundi gubernatores vt Abrahamo Auenefre nõ diſplicere video, libro rationum circa finem, quos Hermes vocat ſaturnum, iouem, martẽ, ſolem, venerem, mercurium, & lunam: dicuntur autem mũdi gubernatores quia per cœlos tanquam per inſtrumenta coaceruatis omnium ſtellarum influentiis eas in hæc inferiora diſtribuunt: iſti enim re vera dicuntur medici: aut enim interitui dant mortales, aut iiſdem ſanitatẽ reſtituunt, ita vt aliqui ſint fauentes & nõnulli nocẽtes. Quãdoquidem vt ſuperiùs recenſitum eſt, nihil in rebus humanis fieri poteſt, neque acutæ ægritudines, neque periodicæ, etiã nullius artis medicæ ſuffragio (vt oculis ſubiicit Hermes rerũ naturæ indagator ſolertiſsimus in fronte ſui opuſculi de decubitu infirmorum) citra ſuperiorum opem terminari poſſent.

In morbis ſanandis natura omnino non ſufficit, expendenda eſt etiam cauſa actiua.

Hippocratis porrò ſententia dicentis naturam in morbis

bis ſanandis omnino ſufficere mihi occurrit. Veriſsima quidem eſt, modò naturam deum mūdi procreatorē cenſeat: ſi autem pro vniuerſali ſubſtantia ac temperie quæ ex primis conflatur elemētis caperet, minimè ſola foret ſufficiens, hac enim via & ratione eſſet paſsiua. quibus è rebus expendēda eſt cauſa actiua: hæc namque inferiora cōditione lōge inferiore prædita ſunt quàm ſuperiora: nam hæc ipſa agendi, vt ſuperiora, illa verò inferiora patiendi naturam ſunt conſecuta. Cœleſtes agitationes (ſi de cœlo cœleſtibúſque actionibus in hunc loqui modum fas eſt) procreādo in homine marium quidem partes obeūt (teſte Pōtano in proœmio ſui operis de rebus cœleſtibus) inferiora verò corpora fœminarum: inde ſequitur rerum animantium tum vita & mors, tum generatio & corruptio. Ideo ipſe Pontanus motum cœleſtem & naſcendi cauſam procreare concludit, vnà & interficiendi, omnémque auctoritatem exiſtere penes marem docet, ſed generatio ipſa cum primis videtur ad ſolem referenda: quia eſt fons vitalis potentiæ, vt apud Ptolemæum hoc luce clarius eſt: enunciato. 86. largiorem doctrinam videre in hoc enunciato ac in dicto proœmio poteris apud eundem Pōtanū narratione complexam, quam breuitatis cauſa omitto: vt generationis noſtrę primordia è cœlo ducūtur & tāquam fundamenta, ab eo iaciuntur pariter criſium primordia: dum námq; aliquis morbo inficitur luna alicui ſyderi benefico aut malefico copulata (vt Hermes philoſophus celeberrimus pręſertim aſtrorum peritus loco iam dicto literis complectitur) illius poteſtatis efficitur particeps, iure quidem: nam dierum criticorum cauſæ ſyderibus & potiſsimùm lunę (vt volunt aſtrologi & plurimi corporis humani moderatores) referri debent, nulláque certa regularis poteſt aſsignari ratio dierum criticorum, niſi ex cœleſti defluxu. Ideò hæc inferiora omnino nequaquam ſufficiunt, tanquam minimè actiua, ob hoc ipſi dies critici dicūtur perinde ac ſi iudices eſſent, quia cœli quod influxu agunt ab angelis capiunt, & angeli à deo (hinc horū in-

fluentia originē è cœlo primitiuā ducit) quam ob rem ſecundarum actiones cauſarum nihil ad rem faciunt aduerſus ſyderalis conditoris placitum. Sed præter cætera noſtris ſermonibus hoc vnum addam, id quod quæſtione 57. prima parte Summæ, ſcribit Thomas de Aquino doctor ſanctus de angelis & hominibus, vtroſque futura quidem præcognoſcere in cauſis ſuis, nō per certitudinem, ſed per coniecturam, angelos tamen multo ſubtiliùs quàm homines. his iſagogis cognitis, docēdi hoſque dies iudicandi facilis tibi aditus erit.

Geneſis hanc ad rem plurimum conducit.

Ortus minimè naucifaciendus, hāc ad rem plurimum pollet: mali namque iuuant ſuos, interficiēdo alios, verbi gratia: Saturnus in natiuitate vnius dominatum obtinet, in alterius natiuitate nequaquam, ſed infortunatè affectus: prædictus ſaturnus ſuffragator illi aderit cui dominatur, alterum morti aut lāguori ſua inuidia dabit. itentidem contingere poterit in vnius geneſi, lunam eſſe in cōſpectu ſaturni hoſtico, in alterius geneſi in aſpectu amico, quādo verò eſt in amico obtutu adiutor aderit: cōtra, dic. Proinde ægrotatio (teſte Ptolæmeo cap. 42. loco ſupra citato) quę cœpit luna ſignum permeante quod malefica ſtella figurę natalis tēpore, aut occupabat, aut è loco quadrangulari vel oppoſito feriebat, difficilis admodum & grauis erit: quod ſi pernicioſus ſtellæ noxiæ aſpectus acceſſerit, futura eſt nō modò difficilis, verumetiam periculoſa: ſin vbi geniture tempore beneficus planeta fuerit, citra periculum. Galenus libro tertio citato, aſſerit veriſsimum quod ab ægyptiis aſtronomis exploratum habuit, lunam non modò ægrotis, ſed etiam ſanis dies quales tandem futuri ſint poſſe prænunciare: ſi enim ſteterit ad planetas temperatos graues moleſtoſque fingamus (inquit ipſe Galenus) homine quodam naſcente ſalurares planetas in ariete, is homo nimirum quū luna in ariete, cācro,

& capricorno fuerit, pulchrè deget: cùm taurum ipſum, vel tetragonum, vel diametrum occupat, in moleſtia vitã tranſiget. Cæterum morborum initia ad hunc modũ excutit. Cũ luna in tauro, leone, & aquario fuerit, peſsima: ſiue periculo autem & ſalutaria ſunt cùm arietem, cancrũ, libram, & capricornum luna permeat. Ex ipſo Galeno libro de decubitu infirmorũ patet arietem, cancrum, librã, & capricornum ægrotationibus moleſtiſsimis ac ſummo dolore homines cruciare. Propterea, cap. de ſchematib⁹ lunæ in capricorno hæc verba ſic ſcripta reliquit: animaduerte naturam huius ſigni cuius proprium eſt periculoſas inferre ægritudines. Iſtæ ſententiæ non ſunt ſecum pugnantes, verba ipſius Galeni in prædicto tertio libro ſunt particulari a, vt copioſiùs pòſt docebitur, nunc hàc via & ratione citra geneſim hæc iudicatio præſe gerit aſſertionẽ minimè ſecuram.

Aſtronomia iudicium vniuerſale & particulare obſeruat.

Aſtronomia iudicium vniuerſale & particulare obſeruat, luna vniuerſaliter corporibus imperat, id quod Ptolemæus loco ſæpius recitato, cap. ſexageſimo primo apertè ſignificare voluit, dum hunc in modum ſcriberet: luna ſignificat ea quæ corporis ſunt, & quæ pro motu: ſimilia & cap. quinquageſimo ſexto, Cùm luna eſt in primo angulo, hoc eſt, ex quo à ſolis coniunctione receſsit, corporũ humiditates vſque ad ſecundum effluunt, in reliquos autem decreſcunt. Ex his duobus enunciatis conſtat lunam habere ſignificationem atque imperium eorum quæ corporis ſunt. Incrementa atque decrementa ipſius planè docent: ſiquidem excreſcente luna, humoribus corpora implentur, decreſcente magis ac magis euacuantur. Id etiam exemplis comprobatur, primo fluxu maris ac refluxu, in conchiliis, cancris, & pleriſque animali-

bus marinis, quæ crescente luna ſucculentiora ſunt quàm decreſcente: item per arbores cæſas: materia namque cæſa decreſcente luna diutius perennat quam creſcente. Non mirum ſi eſt humorum motrix, atque concitatrix, ac ſi vbi primùm corpus inoptata valetudine occupatū pro motu ac lunę ſtatu aliâs maiores, aliâs minores cōmotiones ſentit, vbi etiam incolume, & validū eſt ad illius curſum, nūc abunde ſe implendo, nunc tenuiter extenuādo, naturaliter moueatur: eodem ipſo calle dies, qui critici vocātur, docēt lunæ curſum in ęgrotationibus debere obſeruari, ac lunam vniuerſalem ægrotationū dominatricem. Iudicium verò particulare non dirimit vniuerſale, venus vniuerſim eſt mulierū ſignificatrix, dominus loci ab horoſcopo ſeptimi particulatim mercurius ſapientiā, ſol honores & dignitates nūtiat, ſi in genitura inuenerimus venerē in loco malo, & dominus ſeptimi ab horoſcopo loci ſit dextre collocatus, licet opportuna collocatio domini ſeptimæ domus prædictionē alicuius boni habeat, mulierum tamen gratia infortunium à venere ſignificatum minimè diſſoluet. Altitudo ex ſolis fœlicitate elicitur, qui ſi potentia adornatus fuerit in ortu horoſcopans, vel in medio cœli culminans, vel aliud fortè ex cœleſtibus hoſpitium occupans, in ſuis honoribus collocatus ad ſublimitatem & rerum familiarium affluentiam euehetur natus. Et ſi dominus loci ab horoſcopo decimi honorum & ſublimitatum particularis diſpoſitor, peruerſum locum & noxium occupat, aut aliàs improbè affligitur, quia particulare nequaquam dirimit vniuerſalia, licet incommodi quicquam à Rege aut honorum gratia intētetur, propter infelicem domini domus Regię ſitum, aut aliud ſuum infortunium. Quid itaque per lunę inambulationem & dies criticos vniuerſim ægritudinis euētum conijcimus? quia imperium eorum quæ corporis ſunt habet luna, particulatim verò per genituram: Quod Abrahā Auenesfræ teſtimonio comprobatur, docentis quòd in hac criſi diiudicatur iudicio vniuerſali & particulari. Eam ob rem opportu

num esset natiuitates habere, inquit ipse Abraham⁹, vt & particularia dignoscerem⁹. Propterea prædictus Galenus dicto libro tertio de genesi meminit, dum fingit quodam homine nascēte salutares planetas esse in ariete, malignos in tauro, qua de re verba eius sunt particularia: ipsi⁹ enim Galeni sententia in libro de decubitu infirmorum cap. de schematib⁹ lunæ in libra & capricorno, est vniuersalis. Vt res dilucidior fiat, & magis ac magis certa appareat, experiētiæ prodam exemplum. Luna die quinto ab initio morbi cuiusdam ægrotātis fœlicitate prædita ad hexagonum contuitum fœlicem peruenit, crisis non fuit exactè bona, sed imperfecta, sexto die ad leonem accesit oppido quàm faustū in schemate genitali, pariter & prædicta die .Quaprorter iudicatio fuit perfecta, & absoluta, hinc accidit naturam superiorum auxilio victricem fuisse.

Vnde dies intercalares.

Ex prædictorum perceptione & cognitione satis compertum habes, quando aliqua die luna permeat signum beatitudine decoratum, in schemate natalitio, ac bene à prædicta luna aspectum simul & in figura crisis, licet non sit de vniuersalibus diebus subscribendis, affert tamen bonum iudicium, & vocātur dies intercalares, id est, intercidentes, aut inter duos angulos cadentes, quia nataliū stellarum loca siue ea fœlicia siue infœlicia sint per omne vitæ spatium ex genitura decreti vires suas & ad iuuandum & ad nocēdum retinent. Quibus è rebus euenire possunt crises nō certis statutisque diebus & ad salutem & ad exitium, sed etiam singulis diebus hoc mihi plusquam satis per hanc disciplinam multis diebus quæsitam, exploratum est.

Hylecq, id est, dator vitæ, & alcocodem, id est, annorum dator non parum considerandi sunt.

Magnam fidem adhibeo hylecq, id est datori vitæ & alcocodem, id est datori annorum. à locis apheticis quę hylecqalia vocant perquiritur vita: à loco solis, lunæ, gradus ascendentis, partis fortunæ, gradúsque coniunctionis, aut præuentionis quæ genituram antecesſit. Conuenit autem vt ex his in die solem si in loco apto hylecq fuerit primitus eligamus, in nocte lunam in loco hylecq collocatam. Quod si inuenerimus partem fortunæ, dein locũ coniunctionis prædictæ vel pręuẽtionis, modò fuerint in cardine vel succedenti, postremò gradus ascendens erit hylecq: & in hanc sententiam labitur Gauricus reclamante Anthonio de Montulmo. Nonnulli hylecq à sydere sub terra commoranti assumunt. Ptolemæus verò longè aliter sentit, quia tradit vitam, id est, hylecq, nõ adsumendã in re tam pręclara & excellenti à sydere sub terra commoranti, cui Abrahamus Auenésra concinnit. Ptolemæus enunciato sexagesimoseptimo hæc scribit verba: diminuũtur anni ob accipientis imbecillitatem, quum imbecillus planeta vitæ dator fuerit, tempus promisſum nõ absoluet: sed tum annos tum mẽses diésque pro imbecillitatis qualitate demet. Quando inquiritur hylecq à loco gradus ascendentis, partis fortunæ, aut à prædicta cõiunctione, vel præuentione, non perquiritur si signum masculinum aut fœmininum fuerit, modò in angulo, aut succedenti fuerint. Nunc speculandus est dominus domicilij altitudinis triangularitatis, & finium, quilibet habẽs aliquam de dictis quatuor dignitatibus, prædictáque loca intuens annorũ dator erit: suffultus maioribus prærogatiuis est præferendus, hoc de tertio domino triangularitatis non autumo securus, vt est Saturnus in triplicitate ignea, & Iuppiter in aërea. Plerique aiũt dum inquiritur hylecq à par-

te fortunę, duntaxat cõſideratur aſpectus domini domus, vel honoris: ſi luminare eſt in angulo apto hylecq, modò ſit in domo vel altitudine ſua, erit alcocodem, & locus dictus erit hylecq, id eſt ſignum. Hoc tutum nequaquam reputo. Si Iupiter & Venus fœlicitate præditi cõgreſſu corporeo aut amicis aſpectibus, vt pote triquetris, aut ſexãgulis, ſua lumina prædicto annorum domino impartiantur, tot annos quot ſunt anni minores ipſius planetæ superaddunt: ſi fuerint infauſti, duntaxat loco annorum adiungunt menſes, & ſi fuerint oppidò infœlicitatis onere prægrauati, loco mẽſium horas. Sol & luna beatitudine illuſtrati ex triangulo contuitu, & hexagono, ſuos minores annos conferunt. Annorum dator regrediẽs, vel in domo oppoſitionis, hoc eſt, in ſeptima à domicilio ſuo (quod detrimentum vocant) de annis promiſsis quintam partem adempturus eſt, licet Ptolemæus in dicto enunciato ſexageſimo ſeptimo, de annorum datore nullam fecerit mentionem: non diſpar tamẽ eſt ratio, implebit numerum ſuũ firmitas, potentia, & fœlix planetę ſtatus: infirmitas infœlíxque eius ſtatus demet, quando annorum dator eſt potẽs vel infirmus, aſtrologorum libri omne genus huiuſce materiei ſunt referti. Quapropter his omiſsis ad alia progrediamur. Quando Saturnus eſt annorum datori cõnexus, vel mars, aut ſol, coitione corporea, vel quadrangulari, aut diametrali irradiatione, & luna quadrangulariter aut diametraliter, tot annos quot ſunt anni ſui maiores ab annis ipſius alcocodem ſubtrahũt. annorum dator eſt alcocodem qui prædicit tempus quo natus vitam aduſque vitæ ſuæ curriculum acturus eſt, niſi potentiſsima profectio, id eſt abſciſsio inſit ratione ſtellæ infortunatricis, quæ deprauata ſit à loco ſuapte natura pernicioſo, vel ex maligna hylecq vexatione, hoſtili conſpectu, reuolutione anni & profectione conſentientibus, ſecundum Anthonium de Montulmo. hoc examinatius interpretari ſtatuimus, quod in rariſsimis natiuitatibus vſuuenit. Si non ſic fuerit annos alcocodem cum numero additio-

nis vel ſubſtractionis expectabis: niſi fuerit vltimus annus,(ſecũdum Bonatum & Aueneſram) & hylecq ad aliquam maleuolarum accedente abſque alicuius ſtellę fortunatricis beneficio. Hæc memoratu & perceptu digna putaui,& appoſitiſsimè hîc feruntur vt videre videor: eſt enim res valde grauis ac mirę profunditatis, & quæ magnam difficultatem includit: cui ſententiæ nihil non ſuffragatur dictus de Montulmo: quam quis ſolùm ex reuelatione diuina ob diuerſitatem ſcribentium tutò explicare poſſet. Largiorem doctrinam ex libro Anthonij de Montulmo de iudiciis natiuitatis edito hoc ad inſtitutum facientem petere valebis. Ibi ſimiliter videbis quando planeta dat ſuos annos maiores medios & minores.

Genitura cognita, anni ab hylecq & alcocodem dati ſi nondum finiti ſunt in primis ſunt animaduertendi

Radice natali mihi cuiuſdam ægroti præcognita, ſumma cum diligẽtia annos ab alcocodem promiſſos mecum reputo; his nihildũ completis meum cõſtabilio iudicium ſuper futuræ ſalubritatis reſtitutione, cũ ſupremo dei adminiculo. Innaſcitur hîc vna dubitatio: quidá natus morbo correptus qui lethalis videbatur, fabricata namque cœli figura infortunæ ſunt cardinantes, aut luna à domino orientis tranſitum facit ad dominum octaui domicilij, ipſis annis nato promiſsis adhuc munere corpus tutãdi fungentibus quid iudicij eſt ferendum? conſcribit prædictus Antonius de Montulmo quòd eclipſes cometæ & mundi reuolutiones ex ſe mortis atrocitate proſternere nequeũt, reprobante radicis natiuitatis influxu, ſicut reuolutio radicis genituræ ſignificatum auferre non eſt potens. Bene autem immutare,& adiuuare valent, ſi radices vtcunque conformes fuerint: ſuper hac concertatione literaria non diſparem fero iudicationem, morbus acutus influxu radicis

cis improbante nequaquam mortifer erit, etiam decubitu, & genesis reuolutione consentientibus transferetur. Nam fiet periodicus, aut in alium morbum vertetur. Morbus enim tropicus nequaquam est semper lethalis, potissimùm refragante radice, vt puta quia munus suum non impleuerunt adhuc anni ab alcocodem dati, tunc ægrotus incolumitati restituetur. Quibus omnibus consideratis atque in bilance suspensis, consentaneum videtur interim vniuersale à particulari interpretationem accipere.

Ratio inuestigandi dies decretorios.

Si ex amussi dies iudicatiuos scitari desideraueris, per motum lunæ dignosces, vt inferiùs manifestabo: proinde signum & gradum in quo luna fuerit tempore decubitus, vel vt ante disputatum est animaduerte: dein quando motu suo peruenit ad quadragesimum quintũ gradum à morbi initio, ad sexagesimum gradum, aut nonagesimum, & sic de singulis diebus, quantum in nobis fuerit, in præsentia declarandis. Ponamus clarioris doctrinæ gratia quendam ægrotum decubuisse in lecto hora sexta mane, minuto trigesimo tertio, tertia die augusti anno 1553. luna decimũ quartũ scorpij gradũ permeante, modò cùm luna peragrauerit vigesimum nonum sagitarij gradum, decernit: quia vt edocet Abrahamus Auenesra libro de cognitione dierum criticorum, est dimidia pars tetragoni, (viginti enim duo gradus & triginta minuta, vt centies pertentaui virtutem decernendi non habent) dein luna pertingente decimum quartum capricorni, decernit: & sic de singulis diebus à me subtilius & exactius magis ac magis depromendis, vti sequentia decreta te edocebũt nonnullis diebus nostro marte annumeratis, nec sciscitationis aut disquisitionis eiuscemodi rationis ignoratio me etiam deterreret, dum obseruatio atque euentorum vsus ita esse docuerit, cùm disciplina hæc ab obseruatione cœ-

perit, ac in rebus plurimis effectus pateant, eorum tamen causis ignoratis.

Sequuntur præcepta dignoscendorum dierum decretoriorum, iuxta figuram sequentem.

A Hora decubitus luna peragrabat decimum quartũ gradum scorpij, qui quidem gradus erit primum latus, seu primus dies criticus, id est prima pars seu initium figuræ de qua meminimus post Ptolemæum.

B Vigesimus nonus gradus sagittarij erit secundum latus & dies discretiuus secundus, quia est tetragoni dimidium aspectus.

C Modò cùm luna peruenerit ad decimum quartum capricorni gradum, erit tertium latus, & tertius dies iudiciarius hexagonúsque lunæ aspectus.

D Lunæ progressio ad decimum quartum aquarij gradũ, erit quartum latus, & quartus iudicatiuus, quoniam est lunæ tetragonus aspectus.

E Peragratio lunę ad decimum quartum pisciũ erit quintum latus, & dies quintus, quia est lunæ trigonus.

F Vigesimus nonus pisciũ gradus, erit sextũ latus, diésque criticus sextus, est autem dimidiatus aspectus, respectu tetragoni & irradiationis diametralis.

G Lunæ permeatio ad decimum quartum arietis erit septimum latus, & dies septimus iudicatiuus. Est enim secundus lunæ sexangularis contuitus.

Lunæ profectio ad decimum quartum gradum tauri, erit octauum latus, diésque octauus, diametralis lunæ ſtatio. *H*

Lunæ inambulatio ad decimum quartum geminorum, erit nonum latus, ac dies nonus, ſecunda verò ſtatio trigona. *I*

Vigeſimus nonus gemellorum, erit decimum latus, ac dies decimus criticus. Eſt enim dimidiũ irradiationis tetragonæ reſpectu prædictæ diametralis irradiationis & ſecundi tetragoni. *K*

Lunæ progreſsio ad decimum quartum gradum cãcri, erit vndecimum latus, diéſque vndecimus iudicatiuus, eſt enim tertia lunæ ſtatio hexagona. *L*

Decimus quartus leonis gradus (luna pertingẽte ipſum gradum alioqui nõ iudicaret & idem eſt iudicium de aliis aſpectibus) erit duodecimum latus, diéſque duodecimus, & ſecunda quadrangularis ſtatio. *M*

Decimus quartus virginis gradus, erit decimum tertium latus, decimúſque tertius dies criticus, & tertius lunæ triangulus. *N*

Vigeſimus nonus virginis gradus, erit decimum quartum latus, decimúſque quartus criticus, & dimida pars aſpectus poſt ſecundum tetragonum. O

Decimus quartus libræ diiudicabit: eſt autem lunæ ſexangula radiatio quarta, & decimum quintum latus, diéſque decimus quintus. *P*

Inde progreſſus lunæ iterum ad decimum quartum gradum ſcorpionis faciet decimum ſextum diem criticum. *Q*

Iſta ſunt ſexdecim latera in dicto capite ſexageſimo enunciata: quæ perpendi debent iuxta Abrahami Aueneſræ ſententiam per motum lunæ. Cuius ſententiæ ſubſcribimus: vt ſuprà pernoſcere valebis. aduertendum eſt tutiorem eſſe criſim quæ in primo tetragono accidit, dein in diametro, & ſecundo tetragono. In hanc ſententiam deſcendere voluiſſe videtur Galenus, propterea dicto libro tertio nobis citat quòd lunæ tetragonæ & diametræ ſtationes in bonis principiis bonas faciunt alterationes, in malis malas, in lethalibus quidē morbis lethales ſunt (potiſsimùm infœliciter affectę) in ſalubribus bonas inuenire (cum ſunt fœliciter affectę) neceſſum eſt. Et licet alij imbecilliores ſint, attamē magnam decernendi poteſtatem habent, & in bonum & in malum, pro eorum fortuna aut infortunio: idem de dictis tetragonis & diametris ſtationibus ſentio, propterea illos eſſe angulares, & nō vacuos, cadentes aut intercidentes, (vt quidam medici ſcribunt) iudicio complectitur Ptolemæus in dicto apoteleſmate ſexageſimo.

De menſe peragratorio.

Tota iſta materia reduci poteſt ad vnum mēſem lunarem, quem noſtri aſtrophili ſeptē atque viginti diebus definitum eſſe tradūt, lunæ reditu à puncto zodiaci in idem punctum deſcriptum: quem menſem peragrationis vocant: in hanc opinionem deſcendiſſe video Ptolemæum ſuper dicto capite ſexageſimo, in hoc menſe potiſsimùm abſoluuntur morbi acuti, polichronij, id eſt chronici: periodici, & tropici, id eſt conuerſiui, ſæpiſsime menſem excedunt: aliàs pergendū eſſet iuxta primum menſem quod eſt de mente Galeni hunc in modum ſcribētis, trigeſimūquintum diem decernere, & ſic de aliis diebus à prædicto Galeno enunciatis ob eius menſis ſeu ſexdecim laterum enodationem. Ac vt à nobis enucleatiùs hæc res difficilis nec ſatis nota manifeſtis interpretationibus aperiatur, hîc

vnum ſchema depingemus, complectens illa ſexdecim latera ſeu illos ſexdecim dies criticos, quorum meminit Ptolemæus in dicto capite ſexageſimo: hanc figuram cum figura ad latitudinem regionis erecta conferemus, vt vtraque inſpecta, integrum de morte aut ſalute iudicium fiat, de hoc deo ſuffragante vberiorem dabimus doctrinam vt voti compos fias.



FIGVRA PTOlemæi Sexdecagona ſiue 16. laterum.

Quidam gradus dicuntur compotes, id eſt, vnius fortitudinis participes ac in virtute conſortes, ob hoc compotentes dicuntur, quoniam vnuſquiſque eorum habet fortitudinem in rebus quas ſignificat, tantum quantum ſuus correlatiuus. Planeta igitur exiſtens in primo gradu arietis mittit ſuum antiſcium in vigeſimum nonum virginis, in ſecundo gradu in vigeſimum octauum virginis, & ita intellige de cæteris gradibus. Planeta igitur decimũ gradum arietis permeans, magnam ſibi prærogatiuam vendicat in vigeſimo gradu virginis, quod graduum æqualitas præſtat, propter ſuam ipſorum affinitatem: nam licet aries & virgo nullis ſe radiationibus aſpiciant, mirifica tamen ſocietate & quodam ſibi fœdere iunguntur, adeò vt planeta in ariete poſitus, quamuis virginem non aſpiciat, nihilo tamẽ minus vires ſuas in virginem magis ac magis exercet, de quibus plura dicere hîc locus non exigit. Nam de hac cõſideratione ſatis abunde in aſtrologorum libris docetur. Planeta permeãs primum minutum, mittit ſuum antiſcium in quinquageſimum nonum, in ſecũdo in quinquageſimum octauum, & deinceps eodem ordine. Quod viciſsim etiam facient taurus & leo, gemini & cancer, ſagittarius & capricornus, aquarius & ſcorpio, piſces & libra. vnum tamen eſt obſeruãdum, quando numerus minuitur ſi adſint minuta cum gradibus, demas vnum gradum ex gradibus, & adde minuta loco illius gradus dempti: ſi autem numerus creſcat, dimittas gradũ intactum addendo ſemper minuta. Rurſus virgo mittit ſuũ antiſcium in arietem, leo in taurum, cancer in gemellos, ſagittarius in capricornum, ſcorpio in aquarium, libra in piſces. Quidam ſunt gradus aſcenſionum æqualium vt aries & piſces, virgo & libra, taurus & aquarius, leo & ſcorpio, gemini & capricornus, cãcer & ſagittarius progrediatur omnino quemadmodum & in gradibus ſuperſcriptis. Hæc obſeruatio ad captum noſtræ cõſiderationis non pa-

rum adiungit, ideo hac in re ipsam metiri oportet: verumtamen vnicam hîc inferiùs describemus tabulam, ex qua nobis ad cætera inuestiganda facilior sit intellectus.

Antiscia in

Signis			Gradibus				Minutis			
♈	in	♍	1	in	29	1	in	59	16	in	44
♉		♌	2		28	2		58	17		43
♊		♋	3		27	3		57	18		42
♑		♐	4		26	4		56	19		41
♒		♏	5		25	5		55	20		40
♓		♎	6		24	6		54	21		39
♈	in	♓	7		23	7		53	22		38
♍		♎	8		22	8		52	23		37
♉		♒	9		21	9		51	24		36
♌		♏	10		20	10		50	25		35
♊		♑	11		19	11		49	26		34
♋		♒	12		18	12		48	27		33
			13		17	13		47	28		32
			14		16	14		46	29		31
			15		15	15		45	30		30

Orbis siue lux.		Est ante & post gra.	
	♄		9
	♃		9
	♂		8
	☉		15
	♀		7
	☿		7
	☽		12

Aspectus tantū durant, quantum durant orbes: & secundum eos etiam sumuntur applicationes ad coniunctionem.

Antiscia similes habent gradus, quos & aspectus planetarum ante & post eorum applicationes ad coniunctionem.

Coniunctio, coitus, synodus, congressus	☌
Sextilis Sexagonus.	✱
Quadratus tetragonus	□
Aspectus trinus trigonus	△
Oppositus diameter	☍


Secunda pars de vſu &

PRAXI DIERVM CRITICORVM, IN QVA OSTENDITVR QVOD VBI


ægritudo eſt mortifera dies critici etiam opportuna configuratione minuti minimè morbum reſoluunt: licet quandoque nõnulla dies ſalutis futuræ ſpem adferat. Quando verò morbus eſt ſalutaris, dies critici fœliciter radiati morbum reſoluunt.

VT huius materiei recondita quęque neutiquam prætermittamus, ac ratio iſtius ſecreti prudẽtiſsima expoſitione nequaquam inſinuetur obſcura, hanc præſagiendi methodum memoria complecteris. Ex figura ad latitudinem regionis eleuata dijudicatur quando hora decubitus eſt lethalis, vt pote cùm orientis dominus cum domino octaui ab horoſcopo loci eſt lęthaliter colligatus, aut cum domino ſexti, quarti, & ſic de aliis prędictionibus mortem portendẽtibus: dum ſic pernicioſa erit, nullus ex commemoratis diebus decretoriis, etiam decenti ſtellarũ cõfiguratione munitus prodeſt ad ſalutẽ, licet quãdoque ipſa dies ſalutis futurę ſpem afferre videatur: dum hora eſt ſalubris ex figura Ptolemæi ſentẽtiam ferre poteris, quando dies opportuna ac decenti ſtellarũ configuratione munita, incolumitatẽ eſt allatura, quamuis certis diebus inſalubre iudicium accedat: etiam diem in qua mori valebit ęger, pręſagire poterimus: dum ipſa hora eſt exitialis, & aliquis de diebus commemoratis infauſtus erit, licet etiam quandoque æger in die bene ſtellarum radiis munita nõnũquam vltimum vitæ diem claudat. eã ob rem dum ipſa hora eſt mortifera, nihil certi in ipſa die etiam decenter ra

diata præſagire poterimus.propterea imprimis pro ſecuriori procinctu ſatius eſt iudicare quando decubitus eſt lethalis, aut ſalubris. Surda aure vnum tamen minimè eſt prætereundum. Ptolemæus in ſua figura tãtum tractat de diebus decretoriis: de domiciliis verò aut eius dominis nihil meminit. Nunc in poſteriora ſchemata deſcribenda te certis dogmatibus huic diſciplinæ pernecesſariis inſtruentia merito deſcendimus, quibus edoceberis, quum dies criticus erit ſalutaris, tum decubitus læthalis. Galenus loco ſæpiſsime allegato fatetur dies decretorios ab adoleſcentulo obſeruaſſe, vt de ipſorum diſſenſione diiudicaret, idcirco de dictis diebus minimè iudicium properãdum eſt, donec in multis ægris diuturno tẽpore quis accurate obſeruauerit. Nã exploratio dierũ criticorũ magnam operã deſiderat. Quapropter ſpero noſtra ſchemata ſubſcribenda arte & vſu explorata tibi fore criticæ diiudicationi cõquirendæ grata, ad latitudinem 50 graduum erecta, ſuper quorum fabricatione nõ ſolùm experientiæ ſed rationi etiam mentem adhibui.




Prima obſeruatio.




QVidam anachoreta ægrotare cœpit ac viribus deſti tui, hora meridiana, minuto.35, 7. die aprilis, 1549. luna permeante 30. gradum leonis, ac cõſtituta in aſpectu ſolis, martis, & iouis, domini domus mortis colligati, quadrangulari irradiatione, cum Saturno. ex his radiorum commixtionibus, exoritur ægrotatio à fluxu ventris (pro Galeni ſentẽtia cap. de ſchematibus lunæ in virgine) cum dolore hypochondriorum (quia Planeta exiſtens in 30. gradu ſigni, habet vim perinde ac ſi eſſet in primo gradu ſigni ſequẽtis, pro iudicanda morbi qualitate, vt ſcribit Abrahamus Auenefra in ſuo introductorio, vena inciſa, iuxta medici mãdatũ, ac ſumpto medica-

mẽto obiit die 9. ab initio morbi, Luna diametraliter verberibus martis 4. do. domini pulſata, ac ſtante ad iouem dominum dicti ab horoſcopo octaui domicilii. Eſt enim regula quòd luna à domino aſcedẽtis ad dominum octaui domicilii ſe transferens, eſt lethalis.



Filius cuiuſdam nautæ celeriter febre diutina captus fuit, hora prima antemeridiana, 6. Aprilis die, 1551, luna perambulante 25. arietis à Saturno horoſcopi domino, 21 aquarii poſsidẽte, ad ſolem octauæ cælorum ſtationis hoſpitatorem 26. arietis gradum incubantem accedebat, ea ratione infortunata, quia radiis ſolaribus occultata die 6. ab ægrotationis exordio ipſa luna 8. cancri gradum attingente alui excremẽta deiecit febre abeunte ipſa met die. Quibus è rebus à matre diem & horam radicis


natiuitatis habui, ſignum cācer in radice oppido quā fauſtum erat, maximè 8. pars cancri pariter & die prædicta, quia ſol, venus, & Iupiter dictum 8. gradum fœliciter irradiabant, & Mercurius quadrata radiatione. Quapropter hæc quatuor ſyderum ſocietas prædictam lunam intuentium boni iudicii ſignum attulit: non ab re conſcripſimus aliquos dies eſſe particulares, quorum figuræ natales nos certiores reddunt, vt de his ſententia feratur vera nihilo ſecius licet perfectè ſanus antè videretur reuertente citra manifeſtam cauſam febre, ab humanis deceſsit prædictus puer: quia decubitus læthalis erat. ratio exitii ipſius pueri principalis & præcipua decernitur ex luna à domino aſcendentis ſegregata, cum ſole octaui domicilii domino ſe colligante, ideo lunæ combuſtionem minimè fuiſſe primam & principalem occaſionem teneo: & ob id diſcriminis an prædicta diſiunctio an aduſtio morti hunc puerum dederit, ſequentem producemus figuram, vt iſtius ſecreti prudentiſsima ratio à nobis aperiatur.




Quidam agricultor decubuit febre continua detentus, hora.5.pomeridiana minuto.4.17.februarii. 1550. mercurio 6.in parte piſcium.ſole in 9.lunaque in 20. eiuſdem ſigni platice collocatis.Ideo ipſe Mercurius & Luna radiis ſolaribus calefacti erant,ipſaque Luna à Sole ad iouē octaui domicilii hoſpitatorem 21.tauri tenentē accedebat magna cum familiaritate: quia Iupiter in ſolio Lunę & Luna in iouis domo,dictaque Luna ad 45. gradum ab hora decubitus accedens, quatuor ſyderum radios ſuſcipiebat: qua de re morbi leuamentum dictus agricultor ſudoribus è toto corpore manātibus accepit:deinde ipſa luna ad ſexangulam radiationem perueniente, ſalutaria alui excremēta affatim deiecit hic æger ad ſalutem corporis ipſum reducentia, hæc ratio mihi perſuadet combuſtionem cuius meminimus in ſchemate præcedēti nequaquam dicti

nautæ filiũ interemiſſe: fuit autẽ lunæ ſeparatio à domino aſcendentis & eius applicatio ad octaui loci dominũ. Duo hic magnopere notanda ſunt ſumméque in pectoris clauſtro retinenda, neque cuiquam adhuc puto cognita. 5. tauri gradus à 20. piſciũ gradu quadraginta quinque gradus diſtat, ideo eſt medietas aſpectus tetragoni, ſol in hac aſpectus medietate decimã tertiã piſciũ partẽ perambulabat, eã ob rem ſuos orbes aduſque prędictũ quintũ tauri ſexangulariter extẽdebat. Saturnus ex ſexto aquarii lunã quadrato videbat, mars autem ex nono aquarii, eodẽ ſchemate, venere ex 29. arietis gradu cũ dicta luna coeunte, & ſuũ ſplendorẽ aduſque dictũ tauri gradũ extendente, hęc quatuor ſydera ſuæ radiationis teſtimoniũ lunę dictum tauri gradũ permeanti cõmodauerunt, quoties ſic eſt decorata, diẽ fauſtũ & ſalutarẽ portẽdit: in hexagona radiatione luna 20. tauri partem meabat ſole 14. piſcium partẽ, Mercurio 15. eiuſdem ſigni gradum percurrentibus, ipſa luna cõgreſſu corporeo, ioui in dicto 21. tauri gradu poſito cõiuncta: à Saturno, & marte in aquario platice coeuntibus, ac à venere 30. arietis gradũ peragrante diſcreta: in his & ſimilibus hanc vſurpaui doctrinã memoratu haud indignã. Quoties in die critico quatuor ſydera aut plura quã quatuor ſiue fortunata, ſiue infortunata, quacũque radiatione trahunt orbes ſui luminis in corpus lunæ à parte anteriore, vel poſteriore, ipſa luna fauſtũ diem, ac ſalutare præſidiũ adfert, etiã ſi Saturnus & Mars eo de numero ſint, ac octauę cœlorũ ſtationis domini (quã ob rem, vt dilucidè expediui) in dicta aſpectus medietate iſte æger largos ſudores & calidos eiecit. Nõ diſparilẽ fero ſententiã quãdo in die critico tres Planetæ à tergo vel à fronte ſuos orbes iu corpus lunę ferũt, à tribus aliis planetis diſcrete etiam à tergo vel à frõte huiuſmodi dies criticus, ſalutare præſidiũ largitur (vt exaratũ eſt ĩ dicto hexagono) ſalubria alui excremẽta deiecit agricultor, ideo febre omnino liberatus fuit in dicta ſexãgula radiatione quãdo fortunæ (voco iouem & venerẽ fortunas) minimè ſunt domus mortis do-


minæ, & in die critico ſua lumina offerũt lunæ diem fortunatum & ſalutarem producũt. Hoc enim nõ eſt ſecurũ, quando octaui domicilii ſexti aut quarti ſunt dominæ. Quãdo verò fortuna& infortuniũ orbes ſui luminis obiiciũt lunæ, diem infauſtũ ac inſalubre iudiciũ portendunt (vt multiplici experientia exploratũ eſt) quando ipſa dies nõnihil præſidij afferre debet quo citius eo ſalubrius. ponamus quẽdem ægrũ decubuiſſe die ſabbati ſecunda Decembris 1553. luna 14. ſcorpij gradũ permeãte, ipſaque hexagonã irradiationẽ & 10. capricorni partem pertingente quæ vt ſupra citatũ eſt, fortunata eſſe debebat, die antecedente dictam cõſpectionem ſexangularem, ſudores è toto cotpore manãtes portendunt fore aſsiduos ac ſalubres adusque dictum ſexangularem cõtuitum: aliquando cadere poſſet diem criticũ dextrè eſſe euẽturum, licet æger die præcedenti magno infirmitatis onere depreſſus eſſet, fortaſſe (vt ſuperius recẽſitum eſt) quia luna ipſamet die præcedente dictũ diem criticũ ad quoddã ſignũ in geneſi duriter collocatũ peruenit: nataliũ namque ſtellarũ loca ſiue ea fœlicia ſiue infœlicia per omne vitæ ſpatiũ ex genitura decreti (vt ſupra dictũ eſt) & ad iuuandũ & ad nocendum vires ſuas retinẽt: cõtrà dic quãdo dies malũ ſignũ afferre debet, & ęgrotus ante illũ diem eſt magna depreſſus miſeria, iſta nõ ſunt triuialia. Quapropter memoriæ danda, & ne quid (quod ad totam hanc tractationẽ ſpectet) prætermittatur, cõcludemus gradum vbi cõiunctio vel aſpectus cõpletur eſſe neceſſariũ, & adhuc tutius eſſet ſi idem omnino punctũ æquatũ cũ quo fuerit luna cœpti decubitus hora dignotũ eſſet, vt intelligeretur ſi ſtella ſuũ ſplendorẽ radiatum in dictum minutũ lunã deferẽs protraheret. Abrahami Aueneſræ peritiſsimi rerũ cœleſtiũ interpretis adiuti monumẽtis in introductorio hunc in modum ſcribentis dum ſtella eſt beneficis & maleficis munita, ſummopere potens eſt, tandemque per longam obſeruationem ad huius doctrinæ peruenimusco gnitionẽ. prolixiuſculi oblata occaſione fuimus propter ignoratam rationẽ, ob hoc tamen iniuria taxari non debemus.



QVidam nobilis militum præfectus, vnde ortum duxi, febre cõtinua grauiter laborauit die 10. Iulii, hora. 8. poſt meridiem, minuto 16. 1543. luna percurrente 15. ſcorpii partem, à Saturno primi huius figuræ loci domino, diſiuncta, & Mercurio quarti ab horoſcopo loci domino applicata, in 16. gradu leonis poſito, deinde marti. 23. cancri gradũ poſsidenti, poſtremo veneri, octauæ cœlorum ſtationis hoſpitatrici 29. leonis permeanti, licet luna à domino orientis ad venerem tranſferretur dicto octaui loci dominam, primum autem ad mercurium & martem, quapropter ſanitati reſtitutus fuit iſte æger, quia vt hora decubitus ſit læthalis neceſſum eſt quòd luna ſtatim à domino aſcendentis feratur ad dominum domus mortis, vt clarum eſt ex duobus primis ſchematibus.




Quidã ſtipendiarius miles febricitare cœpit 1552. hora meridiana vel circiter, die 3. ſeptembris, luna permeante 26. piſcium partem, in quarta domo poſita à marte primi huius figuræ loci domino 14. cancri attingente ferebatur ad mercurium octaui loci hoſpitatorẽ, ac 26. virginis pertingentem, ea ratione à domino horoſcopi diſiuncta & octaui ab horoſcopo loci domino appulſa, ea febris huius militis periodica erat. Eam ob rem prædicta ſeparatio à domino ſigni aſcẽdentis cum appulſu ad dictũ octaui loci dominũ, mortis iudiciũ nõ portendebat. Iſte ſtipẽdiarius nimio onere ligni onuſtus ĩ hãc febrim ſua culpa incidit. Quoties horoſcopus ſub ſcorpio ſupputatus fuerit, infirmus ſuę ſibi ægritudinis cauſa futurus eſt, cũ aries ſextam domũ teneat, quæ eſt domus morborũ, & Mars domui vtrique dominetur, hoc eſt vulgare apud aſtronomos.




Quidam ſacerdos decumbere cœpit morbo moleſtiſsi mo, die 5. februarii, in primo galli cantu, id eſt media nocte 1549. luna verò initium 5. gradus geminorum vel circiter permeabat, à Sole 28. aquarii gradū percurrēte, à Marte orientis domino, platice cū dicta luna coeunte, & à Mercurio 8. cœlorum habitaculi domino diſcreta ad Saturnum, per ſui antiſcii radiū accedebat, ad tetragonum ipſa luna accedēte, violentaque quadrati cōſpectus Martis radiatione læſa, iouique domino nullius domus malignæ per antiſcium copulata, de hoc ægro omnes ſui coſanguinei in hoc tetragono actum eſſe coniectabantur, vt nobis tradit Ludouicus de regiis aphoriſ. 115. magis infortunium nocet quàm fortuna prodeſt, licet iouis ſtella ſit beneuola, nihilo tamen minus Martis impugnationi reſiſtere ſola nequiuit, vnde memoriæ mandabis, quādo luna in die iudiciario ſe coniungit ſtellę fortunatrici & infortunatrici, malum ſignum afferre ſolet, modò ſint ſolum duæ ſtel-

læ, aliâs iudicabis vt antè tibi prædixi. iste miser ægrotans in dicta tetragona irradiatione vnctus fuit extremæ vnctionis oleo, vt bonũ decet cristicolam, dein ipsa luna diametralẽ irradiationem pertingente à Saturno sui antiscij radio, solis, Martis & veneris aspectibus decorata cõualuit nullis medicationibus sumptis verum scopum suprà aperuimus. Ex hac figura, vnũ innotescit, quod lunæ separatio propinqua, ab horoscopi domino pariter & ab octaui loci domino mortis iudicium nequaquam obnuntiat.




Petrus natalis acerbã febrim passus decubuit, 17. Maij, hora 10. mane, 1551. luna perambulãs, 2. scorpij gradum, à venere ferebatur ad iouẽ: pater dicti Petri, artis medicæ penitus ignarũ cõsuluit, quandã formulã (quã receptã vocãt) cõcinnantẽ, hac de re ad me pater retulit super quo accersitus, nullo medicamẽto opus esse cõstitui, quia per decubitũ, hũc ægrotãtem à morte fore immunẽ apparebat,

luna primum hexagonum attingente, Iupiter, & Venus, octaui loci dispositores, aduersa radiatione, dictum hexagonum pulsabant, prædictæ autem fortunatrices vitę naturam habēt, nisi fuerint prædicti octaui loci dominæ. in prædicta hexagona irradiatione, sudores tetrum odorem reddentes, eiecit prædictus Petrus, longam infirmitatem insinuantes, nulla Planetarum adunatio, in dicta sexangulari irradiatione erat, neque sequentibus aliis diebus indicatiuis adusque quartum diem Iunii: deinde luna attingēte medietatem aspectus subsequentis diametrum, Sol, & Saturnus prædictæ lunæ sua præsidia offerebāt, Iupiter & Venus platice alligati suorum antisciorum radiatione, licet in hac aspectus medietate luna cōbusta esset, nihil tamen minùs prædictornm syderum beneficio, sudores salutares emisit, in primo hexagono, & trigono, dictæ beneficæ lunam videbant nihilo secius diem minimè obiit, quia hora cœpti decubitus nequaquam mortifera, alioqui lethales fuissent. Progressus lunæ, iterum ad 2. scorpionis gradum salutaris fuit, Iupiter & Venus lunæ suos radios dabant, dictumque 2. gradum, Saturnus & Mars, suis antisciis illustrabant, horum 4. syderum roribus à dicta valetudine aduersa solo superiorum & naturæ suffragio liberatus fuit, luna existente in scorpione, in Saturni aspectu hora morbi initiantis, vt est in hoc themate, similiter in aspectu dictorum octaui domicilii dispositorum, prædictā febrim, & longam infirmitatem prænuntiabant. Ex hac figura habes, licet luna rerum omnium significatrix, à venere discreta sit, & ioui applicita, etsi domus mortis dispositores, interitum minimè inferunt.



Quidã mercator decumbere cœpit die Martis 15. Octobris, 1549. hora 10. mane minuto. 30. luna octaui cœlorum hoſpitij domina, 23. leonis gradum peragrãte, ioui radiatione vexato, ac oriẽtis domino, 24. tauri gradum occupãti appulſa, medici aſſerebãt hunc ægrum eſſe pleuriticum, quibus aſſentior. luna ex 22. leonis cum ſuis minutiis, orbiculos ſui antiſcij, in 8. ſcorpii partem, ſol ex 2. gradu prædicti ſcorpij, in 28. leonis, ea de re ſol in dicto ſcorpionis gradu cõſtitutus, producebat aduſque lunã ſua lumina: 6. die, à morbi exordio, ſanguis ex brachio iſtius mercatoris ſubſtractus fuit, luna intra ſeptẽ gradus capiti draconis copulata, in primo tetragono Sol, Saturnus, & Iupiter in corpus lunæ ſuos orbes prolongabant ſequeſtratę à marte & Mercurio, ac veneri. 1. ſagittarii gradum poſsidẽti applicitæ, quod ſatis ſuperque eſt, nihilominus in prædicto qua-

drato plurimũ vexatus fuit ille mercator, quia tẽpus fuit pluuiosum, ac tota illa die naturali ſuper terrã pluit. inter accidentia quæ ab extrinſeco venire ſolent numerat Galenus lib. 1. de diebus decretoriis incendiũ domus infirmi, aduẽtum latronũ, aut aquas irruentes vel imminẽtes ſuffocationes, tonitrua, pluuiã intempeſtiuã, caſum tecti, ruinã domus, tumultũ & ſtrepitũ vicinorũ, clamores, & ſonitus, latratus canũ, aut nunciũ aliquẽ triſtem. Pluuia autẽ intẽpeſtiua (vt ſæpiſsimè probaui) impedit effectus huiuſmodi dierum, ad tẽpus, vt vſu hic venit. die craſtina prædictum tetragonũ proxima conualere cœpit iſte æger, vſque eò vt ſalutem recuperarit, licet luna à Marte quarti domicilij domino tranſitum faceret ad iouem regredientem primi figuræ loci præcedentis dominum.



Frater cuiuſdã rectoris eccleſiaſtici accubuit, 25. die Mar

tii hora 12. post meridiem, 1550. 16. cancri parte, in domo mortis collocata ferēte lunā à Sole in 15. gradu arietis cōstituto segregatam, ad iouem primi huius figuræ loci dominum in 27. tauri parte constitutum iter habentem, eò vsque cruciatus fuit iste æger vt consanguinei animo cōsternati, munus vitæ impleturum esse propediem cōiectura ducerent, aliter spe ipsius salutē cōplectentes, si sanguis è latere ordinato substractus fuisset, ac si formula à medico instructa, ad vnguem exequuta fuisset. super hoc negotiorum cōsultus, ipsum etiam citra phlebotomiam esse in pristinam salubritatē rediturum præcensui: luna enim à Sole quartū domiciliū peragrante, ad iouem signi ascendentis hospitatorē se transferebat, minimè à ioue domini ortiui cardinis discreta, veruntamē dicta à Sole sequestratio, cum applicatione ad iouem afferre magnā mortis testificationem videbatur, quia Sol in quarto domicilio existens & luna octaui domicilii domina, ac in ipso constituta iouem orientis dominum ac in sexto domicilio constitutum respiciebāt, luna ad medietatem aspectus primam accedēs radio antiscii solis, ac iouis, Martis, & veneris aspectibus illustrata nō parum fausta fuit antè medietatem huius aspectus ac antè phlebotomiā, magnā sputorū copiam excreare cœperat iste ægrotus, (persæpe probaui) dum, dies criticus bonum iudiciū afferre debet, & aliquot diebus aut aliquantisper antè, aliqua excrementa ęger incipit deiicere, iudicium tali die paratum salutariter cadit, prædicta sputa, superiorum defluxus cum natura, vltra prædictum tetragonum protraxit, idcirco corpus istius miseri ægrotantis instauratum fuit. ex hoc schemate habes quod licet luna octaui ab horoscopo loci domina ac in gradu dicti loci octaui constituta, à Sole in quarta domo posito separata transitum ad dominium orientis sextum domicilium permeātem, faciat, mortis iudicium nequaquam præbet.

Vt studiosis lectoribus plenissimè figurarum præcedentium vsus insinuetur, hanc vsurpabimus doctrinam, cuius apotelesmata sunt hæc.

Luna à domino ascendentis, ad dominum octauę, lumen suum transferens, mortem affert.

Luna à domino orientis, ad vnum vel duos planetas, se transferens, postremo ad octauę dominum, non est fatalis, necessum igitur est, quod statim ad dominum octaui domicilij feratur.

Luna à domino ascẽdentis ad octauæ dominum, in morbo periodico, lumen suum transferens, non semper mortem adfert.

Dominus octauæ, à domino ascendentis, lumen suum transferens, ad lunam in oriente etiam constitutam, mortem semper non præsagit.

Segregatio lunæ propinqua, à domino oriẽtis & domino octauæ, licet morbus sit molestissimus, non est exitialis.


Lunæ separatio à morte domino octauæ cõbusto, se transferentis ad dominum primi figuræ loci, mortis iudicium nequaquam præbet.

Luna octauæ cœlorum stationis domina, sub gradu prædicti octaui domicilii supputata, à Sole discreta, & iuncta orientis domino etiam in sexta domo constituto, minimè interficit.

Luna à domino octauę, lumen suum ad oriẽtis dominum transferens non perimit.


Sol dominus octauæ, à domino orientis separatus, & lunę iunctus coitione corporea, vel per aspectum, mortem non præsagit.

Secunda obſeruatio.



Quidā nobilis ſe viribus deſtitutum ſenſit die 22. Nouembris 1549.latera huius ægroti, ab vmbilico in pudēda tumida erant,luna 14.gradum capricorni percurrēs, dein primum ſuum ſextilem obtutum attingens,ſolis,veneris, & iouis roribus decorata erat,à Marte, & Mercurio diſiuncta & Saturno applicata:in hoc conſpectu ſexangulari ſalutaria euomit excrementa. Quibus è rebus ſumpto tamē antè medicamento remiſſa ad tempus fuit febris, in tetragono Venus nullius domus malignę domina,& Sol,prædictæ Lunæ , orbes ſui luminis porrigebant propterea totus deſudauit.Ipſa Luna 14. tauri partem & primum ſuū trigonum,ambulante,ac cum ioue platice coeunte perbel

lè se habuit, ideo tumor suprà recensitus dempto vno latere depositus fuit exin ad 14. gemellorum partem & suũ secundum hexagonum iter faciente, iterum febriuit iste æger, quia luna diametraliter martem & solem videbat, ac Mercurio per suum antisciũ insinuata, à Saturno, & venere dissociata. Ecce quomodo febris rediit in hoc sextili quia Mars, Sol, & Mercurius lunã videbant, à duobus planetis discretam: aliter autem vsu venisset si ioui applicuisset, aut à ioue & ab illis duobus planetis disiũcta fuisset, vt suprà aperuimus. Vna obstetricum post prædictum sexangularem respectum ac ante diametralem irradiationẽ latera istius nobilis palpauit, ipsa luna oppidoquàm fœlice in ipso diametro, quibus è rebus saluatus fuit. Tota familia istius ægroti ante mentis meæ expositionem solo obstetricis suffragio morbum fuisse sedatum cõiecturam accipiebat, minimè influxu superiorum ac medici opera: planum namque feci quemadmodum in prædicta radiatione opposita Sol, & Mars per sua antiscia lunam irradiabant Iupiter & Mercurius suis aspectibus. quocirca iste æger ab hac valetudine praua euasit. Quod de materia huius schematis reliquum feci in sequenti exequar. Compertus sum quaudo quinque planetæ sua schemata lunæ obiiciũt aut quatuor cum appulsu ad duos alios (vt accidit in dicto diametro) talis dies criticus valentius præsidium affert quàm si solum quatuor obiicerent lunæ sua schemata absque appulsu ad alios duos.




Quidam ſcriba febre acerba cum dyſenteria decũbere cœpit, die iouis vltima Aprilis, hora 2. mane minuto 6. 1551. luna in horoſcopo platice poſita, 17. piſcium partem peragrante, dein 45. gradum ab initio morbi perambulante, ac quatuor ſyderũ aſpectibus irradiata, conſultis medicis, in viuis eſſe deſiit: decubit⁹ enim fatalis erat. tres enim ſunt vitæ ſignificatores Sol, luna, & almuten aſcendentis. in hoc typo, luna eſt à venere almutem orientis diſſociata, & ſoli appulſa, ad martem 8. dominũ ac in 6. domo cõſtitutum ſe transferenti. Propterea huiuſmodi applicatio, & ſeparatio, ſunt lethales. in præcedenti verò ſchemate, luna ſe applicabat orientis domino & ſoli, domino octauę applicata, vt enim in præcedentibus diximus quãdo luna eſt à domino oriẽtis ſeparata & domino. 8. domus applicata, eſt lethalis: ſecus quando dicta luna eſt domino

ortiui cardinis & octauę domus domino applicata. Ex his duabus figuris hoc memoria tenebis axioma.


Luna ab orientis almuten discreta & soli appulsa ad Martem 8. dominium maximè in 6. positum se transferēti est læthalis.

Tertia obseruatio.




GVillelmus Gronetus, grauissima ægritudine cōpressus fuit hora 8. post meridiem, secunda die Octobris, 1553. medicus istius ægroti venam percuti mādauit, sed noluit ipsum audire. predixi hunc ægrotantem fore cardiacum pro opinione Galeni libro de decubitu infirmorum .cap. de schematibus lunæ in leone: quoniā luna

à Sole & Marte laceſsita peragrabat leonem in quarto domicilio poſitũ, & gradum 4. domicilij occupãtem, & ita vſu venit intra quatuor dies ab hora decubitus diẽ ſuum obiit ipſe cardiacus.



Famulus cuiuſdam molitoris, cardiaca paſsione detentus fuit, die vltima menſis Martij, hora 7. mane minuto 32. vel circiter, 1549. qui tranſacta ſeptimana obiit. mortis cauſa decernitur ex luna taurum permeante, & leone in quarta domo poſito, Sol, luminare diei in ariete poſitus caudã draconis ſecum copulatam habebat. Quãdo inter lunam, & caput, vel caudam draconis, ſolum interſunr 4. gradus, talis coniunctio, vt expreſsiùs declaraturi ſumus, eſt lętha lis, eadem decernere debet Sol quæ & luna decernere debet, vt volunt nõnulli, ſol etiam exiſtens luminare diei, vt compertus ſum in hoc iudicio lunæ, nequaquam æqui-

parari debet. in hac namque materia, luna animo complectenda est prçter cæteras stellas. Et vt præsentē materiā ad vmbilicū adducamus, sequētem producemus figuram.




Quidam textor morbo molestissimo exagitatus decubuit die 30. Martii hora 6. post meridiem minuto 30. 1549. sol autem à cauda draconis minimè tres gradus distabat, veruntamē mors non est subsequuta, luna enim ad primā aspectus medietatem accedens 4. syderum beneficio decorata erat. quapropter in hac aspectus medietate ab hac valetudine pernitiosa euasit iste ęger. ex hoc apparet causam mortis principalem famuli de quo meminimus in figura antecedenti à leone in loco quarto existente, ac à luna taurum permeante illatam fuisse, nequaquam ex solis coitione cum prædicta cauda: sanguis ex vena vtriusque &

famuli &textoris eadem hora ſubſtractus fuit, quia medicus hos tenebat pleuriticos.

Ex figuris præcedentibus decubitus exercendi gratia huiuſmodi fiet depromptio.


Leo occupans gradum quarti domicilij, luna in dicto leone conſtituta aut in tauro, mortis iudicium præbet.

Quarta obſeruatio.




Petrus Binetus decubuit die 15. februarij 1554. hora tertia, minuto 3. decimo tertio poſt meridiē Sole ſigni aſcendētis domino, & Marte octauū ab horoſcopo locū permeātibus, ac partiliter cōiūctis, in 7. piſciū gradu, vt apertè demōſtrat figura præcedēs, ex dicto Sole dicti ſigni horoſcopi dñio. partiliter Marti in octaua cœlorū ſtatione copula-

to, mors decernitur, iſte ægrotans intra 5. diem à decubitũ mortem obiit, propterea ego teneo à cardiaca haud immunem fuiſſe, quia luna 15. leonis partem perambulabat.




Quidam ordinis Auguſtinenſis, die 18. Martij, hora 5. poſt meridiem 1550. febre aſsidua & ardenti correptus, decubuit, 11. ſigni arietis gradu lunam ferente diſiunctam à Sole octauam dicti arietis partem tenente, qua de re ipſa luna radiis ſolaribus calefacta, ad primum hexagonũ accedente à Marte ad ſolem iter habente, ſine beneficarum præſidio plurimum vexatus fuit iſte æger, de hinc locum trigonum tangente ac ſolis, Saturni, & Mercurij, aſpectibus etiam iouis radio per ſuũ antiſciũ irradiata, fœliciter ſe habuit iſte æger, nihilo tamen ſecius ad vnguem minimè percuratus fuit, propterea pauco poſt tempore inter

viuos agere desiit, quia Mercurius oriētis dominus, in domo mortis inuentus, marti domino prædictę octauæ cœlorum stationis immixtus erat, dominus ascendentis (pro Haly sentētia) in octauo figuræ loco constitutus, in aspectu maleficarum est læthalis. Ioannes Ganniuetus docet orientis dominum, in octaua cōstitutum domino domus mortis marti vel Saturno immixtum, esse fatalem.



Quædam mulier decubuit die 11. februarij hora 3. post meridiem minuto 24. 1554. 28. Gemelloum parte lunam ferente. hæc mulier non parum vexata fuit, quoad luna è capite draconis euasisset, antehac tonsor venam ferire pertimuit; quia magnam imbecillitatem præseferebat. luna è capite dicto erepta, morbi leuationē accepit præsens ægrota, insuper fœliciter se habuit in 2. aspectus medietate, & diametrali irradiatione: quia luna in dictis radiatio-

nibus 4. ſyderum beneficio munita erat, ex hac figura vnũ eſt memoriter complectẽdum, dominus orientis 8. ab horoſcopo locum tenens, marti copulatus, interitum obnũciat, ſecus ſi è domo 8. ſit egreſſus, licet à gradu dicti loci 8. quinque gradus minimè diſtet, illi 5. gradus qui ſunt in contactu anguli, & ad domũ cadentem tendentes, in angulo computantur, vt tibi per hunc tractatum conſtabit, quod de aliis domibus nequaquam eſt intelligendum, vt demõſtrat figura præcedẽs: ſol enim anguli orientalis dominus, marti diſiũctus, nõ diſtabat 5. gradibus, ac dicti ab horoſcopo loci 8. gradu, ob hoc mors nõ eſt ſubſequuta.




Quidam lanius acerba febre diutina captus fuit, hora 9. mane, minuto 8, vel circiter, 25. die Octobris 1550, vena inciſa, iuxta medici mandatum, ſupremũ vitæ diem obiit,

decubitus enim fatalis erat, quia Iupiter oriẽtis dominus retrogradatione vexatus, 8. ab horoſcopo locum peragrabat, & per Lunæ tranſlationẽ Marti copulatus: hæc teſtimonia huius lanij mortem obnunciabant. Hinc notabis quando ortiui cardinis dominus eſt in 8. domo marti vel Saturno copulatus, etiam per tranſlationẽ eſt læthalis.



Quidam arator cardiaca paſsione infectus decubuit, hora 2. poſt meridiẽ minuto 9. vel circiter, 27. die februarij, 1550. 19. piſciũ parte, ſolem orientis dominũ ferente, in loco octauo poſitum, ioui hexagona irradiatione. 22. tauri gradum poſsidenti copulatum, dictus verò Iupiter per ſuum antiſclum transferebat ſolis orbes ad Saturnũ, Aquarij gradum 7. occupantem, & licet Iupiter eſſet à dicto Saturno ſegregatus, nihilo tamen minus intra vnum

diem naturalem à morbi initio è viuis exceſsit iſte æger: hoc ſchema cœlicum huius aratoris mortem obnũciabat, quia Sol ſigni aſcẽdentis dominus, in 8. domo collocatus, per tranſlationem iouis, Saturno immixtus erat: ſimiliter non prætermittemus quod luna curſu velox, 30. cãcri partem inambulabat: propterea ſua fortitudo, & ſignificãtia, (vt ſuperiùs pertractaui) eſt in primo gradu leonis: & quia Sol & Mars, motu aucti, ſua ſchemata lunæ porrigebant, hunc aratorem fuiſſe cardiacum (pro Galeni ſentẽtia lib. de decubitu infirmorum) obnunciabant.




Quidam faber ferrarius, nimio febris ardore prægrauatus decubuit, die 9. Maij, hora 5. poſt meridiem, minuto 7. vel circiter, 1549, ſol à Marte orientis domino, 21. cancri gradum occupante, ad Saturnum regredientem 4. domi-


cilij hoſpitatorem ferebatur. Dominus enim horæ ſimilem habet potentiam (vt aiunt noſtri vates) domino aſcendentis: Dominus autem ſigni aſcendentis in 8. poſitus, Saturno, vel marti immixtus, interficit: in hoc ſchemate, ſol & horæ dominus in 8. loco collocatus, ac marti & Saturno configuratus. ideo his è cauſis dic mortis cauſam proficiſci. Ludouicus de regiis enunciato 38. magnum vitæ caſum eſſe partitionem 8. ab horoſcopo loci docet, & apoteleſmate 40. nullam circuli diuiſionem peiorem & crudeliorem eſſe. 8. dicit, potiſsimum ſol pro ipſius Ludouici ſententia in dicta mortis domo cõſtitutus, mortis teſtimonium adfert. iſte ferrarius 8. annum agebat, primam morbi occaſionem deprehendere deſideraui: ſcorpio enim horoſcopabat, calidus de vno fonte potauerat, Vt exercitione figurarũ præcedentium, cãdidi lectores, eruditi ſint hac prædocebuntur doctrina:

Dominus aſcendentis in 8. figuræ loco conſtitutus marti vel Saturno copulatus, eſt lethalis.

Quinta obſeruatio.




Quidam ſcholaſticus decubuit die 16. auguſti hora.3. poſt meridiem minuto.9.vel circiter 1554.19.arietis parte, lunam octaui ab horoſcopo loci dominam ferẽte. 5. enim gradus qui ſunt in contactu anguli (vt aperte à nobis demonſtratum eſt) & ad domũ cadentem tendentes, in angulo cõputantur,in hoc ſchemate luna eſt in 19.gradu ſigni arietis, Primus huius figuræ quarti loci gradus eſt 23. dicti ſigni areetis, qua de re 19. computatur in 4.huius figuræ loco, ipſa luna ad quadratum accedente animã reddidit, quia luna 8 loci domina,quadrato à Marte ſegregata ,& ſoli 8. locum peragrãti applicita,propterea eam infortunio fuiſſe pręgrauatam dicimus, hinc quod in figura præcedenti diximus de ſole in 8.poſito recordaberis.




Vxor cuiusdam stabularij morbo pleuritidis exagitari ac decumbere cœpit, die 6. Nouembris hora 9. vel circiter pomeridiana 1550. in tetragono inuidia Saturni ac radio veneris luna pulsata, de salute desperata fuit dicta ęgrota. Eā ob rem assumptā primitus medicina, venáque pertusa, sacramentum extremæ vnctionis suscepit in hexagono quadratum subsequenti ipsa luna, à Marte, venere, & Mercurio disiuncta, Saturnus, Iupiter, & sol, sua dictæ lunæ obiiciebant schemata, ideo roribus istorum sex syderū ab hac aduersa valetudine erepta fuit, hora morbi initiantis luna erat à venere per coitum sequestrata, & ioui per trinū cōiuncta, licet quadrato Saturnū 8. dominū videret. Ex figuris præcedentibus hunc extrahemus aphorismū. Dominus octaui ab horoscopo loci quartum figuræ locū permeans ac Planetæ potissimùm soli in 8. domo existenti se applicans, est lethalis.

Sexta obſeruatio.




FAmula quædam febre cõtinua cum graui laterũ dolore afflicta, decubuit, die 26. Nouẽbris hora 11. poſt meridiem, 1550. Luna in 18. gradu cancri collocata, marti retrogradè incedẽti ac ſoli per antiſciũ copulata Galen⁹ libro de decubitu infirmorũ, cap. de ſchematibus lunæ in cãcro, ſcribit, lunã in cancro poſitam, ſolis, aut martis, aut vtriuſque ſchematibus oppreſſam, dictorum morborum obnuntiatricem, ſanguiniſque detractionem fore vtilem, intra. 5. dies à morbi initio, in primo trigono mars regreſſum patiens, & Saturnus ſui antiſcij iaculo lunã videbãt, ſiue aliorum planetarum præſidio. ideo huic famulæ nonnihil mortis periculorum ab his duabus ſtellis no-

centibus malè timebam, quia decubitus non parum dubij afferebat, an foret funeſtus an ſalutaris, in ſexãgulari cõſpectu, diametralem irradiationem ſubſequente. 3. gradibus minimè à cauda luna diſtabat, tota illa tempeſtate in morbo deſperata erat, vberiorem infra dabimus doctrinã de infortunio lunæ à capite vel cauda ecclipſatæ. De hinc luna pertingẽte. 2. tetragonũ, Sol, Venus, & Mercurius, progredientes, ac Iupiter retrogradus, ſua ſchemata lunæ dabãt, à Saturno & marte ſequeſtratæ. Hæc irradiatio ſecunda ſpem futuræ ſalutis attulit, quia ſudores calidos & ſalutares emiſit, in hexagono poſt ſecũdũ tetragonũ, Sol, & Mars, ſuorum antiſciorum gratia, lunæ immixti erant, in aſpectu Saturni, iouis, veneris, & Mercurij conſtitutæ, vnde iſtorum. 6. ſyderum ſuffragio incolumitatem conſequuta eſt dicta famula: decubitus enim minimè fatalis erat, licet Mercurius cardinem ſubterraneum permearet retrogradatione & combuſtione vexatus eſſet, quia Mercurius ortiui cardinis dominus, à ioue 8. loci domino ſequeſtratus, ac per coitum ſoli dictum cardinem ſubterraneum peragranti appellebat, quãquam Gãniuetus ſolum de domino aſcendẽtis in 8. domo ſic conſtituto meminit. Idem iudicandum (meo quidem animo) dum eſt in cardine ſubterraneo, vt pręſens docet figura, quod eſt memorię dandum, videre poteris dictum Ganiuetum differentia. 5. cap. 50.



Piscator quidam ægrotatione molestissima decumbere cœpit, hora 10. mane die 17. Aprilis 1543. quarto libræ gradu in cardine subterraneo posito, luna in initio 12. partis libræ & ioue in 23. eiusdem libræ inuentis, ac in dicto cardine collocatis, eam ob rem dicta luna ioui regrediēti appellebat, in tetragono soli, Saturno, & Mercurio, luna optatè associata erat, cum optata applicatione ad iouem venerem & martem sui antiscij iaculo, in trigono soli, Saturno, & Mercurio coadunata, à Marte discreta, cum appulsu ad iouem, & venerem, licet prædicti tetragonus, & trigonus, fœliciter radiati essent, morte pallida extinctus est iste piscator, hora enim decubitus funesta erat, quia luna ortiui cardinis domina, 4. ab horoscopo locum hora morbi initiātis permeabat, cū applicatione ad iouem regredientem, in dicto loco 4. constitutum.




Magiſter Petrus Denguetus febre ardentiſsima laborans decubuit, die 17. Maij 1552. luna 4. arietis partem peragrans, à Sole ſexangulariter viſa dictam febrim ingenerauit, vt apud Galenũ legitur libro de decubitu infirmorũ cap. de ſchematibus lunæ in ariete, Mars dominus horoſcopi, ad Saturnũ 4. domum tenentem iter habens, illam febrim fore funeſtam obnunciabat, quod vſu ita accidit, Luna enim in tetragono ſchematibus ſolis, Saturni, veneris, & Mercurij illuſtrata erat, nihilo ſecius in dicta tetragona radiatione, mortem oppetiit. Quando hora decubitus (vt ſuprà ſcriptum eſt) eſt funeſta, dies iudiciarij fœlicitate decorati, minimè proſunt, vt præcedentium eruditione ſchematum candidi lectores ſint exercitati, memoriæ hoc iufigant præceptum.


Dominus orientis Planetæ exiſtenti in 4. domo applicãs ſua præſentia aut radiatione alia, mortis iudicium prębet.

Septima obſeruatio.


QVidã ruricola morbo phrenetico (vt ex Hermete & Galeno libro de decubitu infirmorũ colligi valet, cap. de ſchematibus lunæ in ariete) laborare cœpit hora 10. mane die 25. Aprilis 1549. luna in hexagona irradiatione, quadratum ſubſequente, collocata, vitam amiſit dictus ruricola, quia luna intra 5. gradus caudę draconis hora decubitus copulata erat.



Quædam iuuencula, febris ardore aduſta, accubuit die 11. Decembris hora 6. pomeridiana, 1549. luna ortiui cardinis domina, ac intra 6. gradus capiti draconis infœliciter copulata, angulũ terræ permeabat. Scribit autem Turellus, quando aſcendentis dominus, & luna imi cœli domum perambulant, mortem portẽdunt. Hoc ſchema cœlicũ ſatis hoc probat: quia luna oriẽtis domina, infœlicitate dedecorata in hoc ſchemate ac angulũ terræ permeãs, eſt lethalis, & hæc figura eſt à præcedenti diſpar, quia luna 10. domum permeabat, propterea vt eſſet lethalis neceſſe erat, quod copulata eſſet intra 5. gradus caudæ draconis.




Molitor quidam, febre diutina supra modum cruciatus decubuit.14-Nouembris hora. 7. post meridiē vel circiter,1549.die decubitus loquelam amisit,in quadrato luna cum venere coeunte, instaurata fuit loquela. Posthac in deterius lapsus est.ideo luna trigonū possidente solis & martis schematibus læsa, vitā morte cōmutauit, decubitus enim lethalis erat,quia luna intra 4.gradus capiti draconis copulata erat in dicto decubitu.




Quidam nobilis mihi affinis viribus se sensit destitutũ morbo (vt asserebat) graui, 23. Martij die hora 8. post meridiem minuto 10. 1553. Luna primam leonis partem permeante, ac cum Marte coeunte vt præcedens figura cœlestis demonstrat: prædictus lunæ, & martis coitus, in leone dictã ægrotationẽ decernit & interdũ cardiacã paſsionẽ, vt apud Galenũ legitur libro de decubitu infirmorũ. cap. de schematibus lunæ in leone, medicus hũc nobilẽ pleuritide infectũ dicebat ꝓpterea sumpto medicamento ante tetragonũ vena huius nobilis fuit percussa, naturaq; minimè subleuata fuit, vt affirmabat dictus nobilis, initio morbi mihi cognito horam decubitus non esse mortiferã dixi (quia adhuc luna suprà quinq; gradus, capite draconis elõgata erat) ipsumq; ægrotũ in quadrãgula radiatione meli⁹

habiturum prædixi, id quod vſu ita venit, quoniam ipſa luna ſolis & iouis retrocedentis nullius domus malignæ domini radiis decorata erat, vnde fœliciter ſe habuit, ac poſt longam tamen infirmitatem ſanitati reſtitutus fuit hic æger.




Quædam puella febre cum laterum grauitate defatigata accubuit, die 12. Ianuarij, hora 5. poſt meridiem. 1549. medicus aſſerebat hanc ægrotam pleureſi infectam eſſe: ideo ipſius ſanitatis gratia venam percuti iuſsit, pater huius puellæ medico obaudire noluit, luna ad quadrangulũ locum perueniente, & cum capite draconis idem contubernium capiente: infra. 7. gradus, tota vna die naturali acerbiſsimè afflicta fuit hæc ęgrota, vſque eo vt ab iſta morbi moleſtiſsimi continuatione exitio liberari deſidera-

bat, ac iam iam morituro similis erat, sole, saturno, ioue, venere, ac mercurio recto cursu incedentibus, ac prædictæ lunæ suos radios porrigentibus, in triangulari radiatione sol, saturnus, mars & mercurius, orbes sui luminis protrahebant in lunam: idcirco istorum 4. syderum beneficio sese collegit hæc ægrota, ac ipsius corpus recreatum fuit. notabimus tetragonam irradiationem esse potentiorem, & cæteris digniorem. Ex hoc manifestè liquet, hanc ægrotam sanitati fuisse restitutam in prædicto quadrato, vbi luna capiti draconis minimè immixta fuisset, quando in trigono ita accidit.



Allanus Legerus, morbo pleuritidis grauatus decubuit 19. die Iunij, minuto. 19. hora. 3. post meridiem. 1549. luna 23. arietis gradū permanēte, separata à cauda draconis. 19.

dicti arietis percurrente vena secta in hexagono obtutu, luna 4. stellarũ radiis decorata, restitutus sanitati fuit dictus Allanus: causam ægritudinis dignoscere mihi cordi fuit: quoniã scorpio horoscopabat, humi frigidus sub dio iacuerat. Ex hac figura habes, quod lunæ separatio à cauda draconis, non interficit quemadmodum & applicatio.



Quidam sacerdos non mediocriter morbo prægrauatus pleuritico decubuit hora 11. mane, minuto 30. 9. die Iunij, 1554, ante quadratum sputa deiecit, luna quadrangulum possidente, supremum diem expleuit-huius sacerdotis obitus causa, in hac quadrãgula radiatione decernitur ex lunę coitu intra duos gradus cum cauda draconis. Duo hic memoria sunt tenenda, quando in morbi initio, luna capiti, vel caudę draconis applicat, intra quinque gradus,

& potiſsimum intra 4. tunc talis lunæ ſynodus feſtinum præſagit interitum: quãdo in die critico coitus lunæ à capite vel cauda draconis eſt ſupra 2. gradus diſtans, mortẽ minimè obnũciat: vt patet in figura cuiuſdam famulæ, ſuperius ſcripta: ſi autem in quadrangulari irradiatione coitus lunæ & capitis vel caudæ eſt intra duos gradus, mortẽ affert, vt dignoſcere in hoc ſchemate cœlico valebis.


Vt in ſchematum ſuprà ſcriptorum operibus, lectores animum aduertant, hæc excerpemus documenta.

Hora accubitus luna ad capitis, vel caudę draconis coitũ defluens intrà 5. gradus & potiſsimum intra 4. mortis teſtimonium præbet.

Luna orientis domina, in quarto domicilio collocata capiti draconis, vel caudæ vltra 5. gradus copulata minimè eſt lethalis.

Luna capiti vel caudæ draconis applicata corporea coitione poſt morbi exordium in die critico, interitus teſtimonium non affert, niſi in quadrangulari radiatione intra duos gradus ſit coitus.

Octaua obſeruatio.




LAbente virginei partus anno. 1545. die. 7. augusti, hora. 2. post meridiem, minuto 20. febre diutina cũ thoracis & hypochondriorum grauitate non vulgariter fatigatus decubui, luna ad medietatem primam aſpectus perueniente, à ſaturno venere retrograda, & mercurio ſeparata, ſol, Iupiter, & Mars ipſi lunæ ſchemata porrigebant, in hexagono obtutu prædicta luna à ſaturno, venere, & mercurio diſcreta, ſol etiam, Mars, & Iupiter ſua ſchemata lunæ porrigebant: quamuis iſti dies critici opportunis prædictorum ſyderum radiationibus muniti eſſent, ad ſanitatem minimè me reduxerunt. vt ſuprà ſcripſimus tropici ſæpiſsime menſem excedunt. 7. ſeptimanas prægrauatus fui, ex illo, in febres quartanas huiuſmodi

morbus pertrāſiit, meipſum aggrauātes circiter 2.annos. prædicta ſolis & martis ſynodus, dictā ægrotationē portēdit. Mars enim morbos habet acutos, ſol chronicos, lunę coitus cū ipſis majorē vim præbet ad ipſos morbos producēdum, plurimi in noſtro Caleto in archiepiſcopatu Rhotomagenſi ſito huiuſcemodi morbis aggrauati fuere, quorū nonnulli ſenectute confecti in hydropē lapſi ſunt. omnibus diligenter perpenſis medicos plures accerſiui, qui vno ore pronunciauerunt me fore hydropicū; natura tamen cœperat ſubleuari, nihilo ſecius vt mihi cauerem, ligni ſancti decoctionē pro maiori cautela cōfeci, ipſis medicis refragātibus, de qua potaui decem diebus, ex illo valere cœpi, ac paucis poſtea mēſibus corpus meū huiuſmodi ægritudinibus defunctū, ſalubrius fuit, perfecteq; cōualui. ex hac noxia valetudine, vnū mihi haud incognitum fuit, quod ſolis & Martis coitus, febres quartanas portendit, maximè ſi luna eis copulatur corpore vel aſpectu.




Vicarius perpetuus bellebonensis, febre diutina laborare cœpit, die vltima mensis augusti, 1551. hora 3. post meridiem, luna 18. virginis perambulante, à sole supra vnum gradum minimè disiuncta, vno circiter mense infirmitate molestissima cruciatus fuit, haud secus rem hanc & tempus memoria repetere queo: hæc febris diutina in tertianam versa est, dehinc in quartanam, postremò sputamine eiecto, 12. ante diebus prædicta quartana salubriter recessit. in summa colligamus, lunam radiis solaribus calefactam, morbi malignantis non autem lethalis iudicium afferre.




Magister Martinus Mondetus prædicta die vltima mensis augusti 1551. hora 6. pomeridiana minuto 10. febre molestissima decubuit, luna 20. gradū virginis permeante

à ſole diſcreta, in primò hexagono ſol, Saturnus, Iupiter & Mercurius lunæ ſua ſchemata obiiciebant, nihilominus ſudores tetrum odorem reddẽtes eiecit hic ægrotus: in tetragona irradiatione dicta 4. ſydera, lunæ ſua ſchemata dabãt. Rurſus ſudores graue olentes emiſit. medicus magiſtri Martini domum conceſsit ſecum volutans, ipſum Martinum affatim medelæ ſumpſiſſe ad eius ſalutem nihil feciſſe. propterea ipſi Mondeto conſuluit quo ſuæ prçcaueret animæ ac iniquitatũ vulneribus mederetur. poſthac ad dictum Martinum iui ſine vlla ſalutis expectatione deſperatum, mihi omnia referentem: die & hora decubitus mihi cognitis ac perpenſis dixi hunc ægrotantem breui ab hac valetudine perniciosa fore immunem, quoniam decubitus nequaquam lethalis erat. nihilo tamen ſecius ſuç conſcientiç prouideret iſte Mõdetus, ante prædictum vicarium aliquantiſper validus euaſit. facile eſt prçdictæ ſanitatis priſtinç cauſam dignoſcere, nam in hac figura à ſole pluribus gradibus diſtabat luna quã in præcedenti figura. ex hoc ſchemate habes, quod luna combuſta morbo initiante longam infirmitatem decernit, licet dies critici interea opportunis radiationibus muniti ſint.




Vxor cuiuſdam naucleri febre maligna decubuit 29. Martij hora 6.mane 1551.in tetragono luna 21.arietis attingente,concremata erat nihilominus tota,deſudauit,roribus ſolis,ſaturni,iouis,& Martis irrigata luna,ac à Mercurio diſcreta & ad venerem appellente, propterea iſtorum 6.ſyderum beneficio, dies ſalutis adfuit.memoria tenebis lunæ combuſtionem huius tetragonæ irradiationis effectum non impediuiſſe. Bonatus cõſideratione 79.conſcribit infœlicitatem lunę ex coitu ſolis prouenientem cæteras lunæ infœlicitates ſuperare. pluribus in locis ſuperiùs ſcripſi quonãpacto lunæ ſynodus cum capite vel cauda infœlicitatem ex aduſtione fluentem vincit,etiã quomodo cum capite draconis vel cauda, lunæ coitus effectum horum dierum impedit.




Nicolaus de campis, morbo molestiſsimo decubuit, 16. die Iunij 1554. hora 9. mane in tetragona radiatione, & hexagona sequēte, luna radiis 4. ſyderum munita erat, dein vena percuſſa medici mādato, nullū leuamentum accepit iſte æger, in diametro luna ignita ex illo morbus trāſmutatus fuit, poſt tamen morbi longitudinem, & vitæ diſcrimina, priſtinæ fuit ſanitati reſtitutus. vnius memor eris, quando luna in diebus criticis eſt fœliciter illuſtrata, & illi dies nihil leuamēti afferunt, mortis iudiciū, vel morbi tranſmutationem, ac longitudinem afferunt.
Ex ſchematibꝰ poſtremò ſcriptis hāc excerpimꝰ methodū. Luna combuſta, ſoli ſociata: aut ab eo diſiūcta, mortis iudicium minimè affert, ſed longam infirmitatem decernit, veruntamen applicatio, longiorem infirmitatem portendit, quam ſeparatio.


Nona obſeruatio.



Quidam agricultor pleuritide decubuit, die 27. Aprilis 1553, hora circiter prima poſt Meridiem vena inciſa, acerbiſsimè vexatus fuit iſte æger facie illius rubeſcente cum partibus vicinis, ſuper hoc cóſultus, ſanguinis fluore, huic ægroto, ſecundum Galeni ſententiam libro de decubitu infirmorum cap. de ſchematibus lunæ in ſcorpione, opus eſſe prædixi. In hexagona radiatione primũ tetragonum ſubſequẽte, Sol, Venus Mercurius & Saturnus ſui antiſcij radio lunæ ſua obiiciebant ſchemata, in iouem & martem properanti: ideo iſtorum 6. ſyderum beneficio lunà adiuta magnam ſanguinis copiam expuit, qua de re morbus fuit omnino expulſus.



Quædam mulier, marito orbata, pleuritidis ægritudine detenta fuit, 11. die Septembris, hora. 2. minuto 43. 1553. luna peragrante 12. ſcorpionis gradum, ſol, Saturnus, Iupiter, & Mars ipſi lunæ ſuos radios porrigebant. vnde valentiſsimis iſtorum 4. ſyderum radiis, ſanguinem expuit ſalutarem, dein ipſis ſtellis in trigona radiatione lunam intuẽtibus ab incurſu huius ægritudinis erepta fuit hæc mulier, fluxu ſanguinis per anum eiecti, circa prædictũ triangulũ vena minimè ſecta, ac medicatione nullatenus ſumpta, tres ſuprà 60. annos nata erat. plures hoc morbo detentos dignoui abſq; medicamẽto & phlebotomia, à languore prædicto ereptos fuiſſe, venę ſectionem in pleuritide neceſſariã eſſe plæriq; tenẽt, id quod mihi experimentis haud compertum eſt: ſed fore vtilem non improbo.




Vxor cuiuſdam negotiatoris frumẽtarij, laborans pleuritide decubuit die.1. Octobris, hora.7. mane minuto 30. à morbi initio circa biduũ ſputa excreauit ad vſque eius obitũ, luna tetragonũ contingente ſol, Iupiter, Mars, Venus & Mercurius progredientes lunæ ſuos orbiculos dabant, cum Saturno regreſsione affecto platice coeũti. In hac tetragona intuitione, copioſus ſudor è toto corpore manabat, deinde ad triãgulum locum pergente luna, ſol iaculo ſui antiſcij, Mars, Mercurius, & Venus, lunæ orbes ſui luminis obiiciebant. Hæc ſydera huic ægrotæ nequaquam vſui fuerunt. Ideo ſanguinis fluore è naribus decernente, ſputorum eiectione, ac ſudoribus ex toto corpore manantibus, minimè liberata fuit, quia dum Saturnus & Mars cardinantur lethales ſunt. propterea in dicto trigono deperiit.

Ex figuris poſtremò ſcriptis hæc pauca educemus.

Phlebotomia in morbo pleuritico non eſt neceſſaria,veruntamen eſt naturæ adiutrix.

Decima obſeruatio.




Quædam nobilis domina, vxor mei patrui aſsidua febre decubuit,die 13.auguſti hora 10.mane minuto 4. 1553. luna 17.libræ gradum cum mauorte iūcta, & Saturno per antiſcium copulata. eam ob rem Saturno & marti alligata,in primo hexagono luna radiis Saturni, ſolis, iouis, & martis munita,à venere & Mercurio diſſociata in hac hexagona irradiatione medens huius ægrotæ ſalutem ſperabat. Nam bene ſe habuerat. Galenus libro de decubitu infirmorum cap.de ſchematibus lunæ in libra,ſi vna cum Marte Saturnus ſua ſchemata lunę porrigat , luna libram

permeanti, citra vllum dubium morietur æger veniente diametro, & Hermes cõſcribit in tetragono. iſtæ opiniones ſentẽtiarum perplexitatẽ minimè afferunt, aduertendum eſt tetragoni vel diametri infortuniũ. quãuis ſol, Saturnus, Iupiter, Mars, & Mercurius in quadrangulo lunæ orbes ſui luminis obiicerẽt, nihilominus in dicto quadrato huius ægrotæ anima è domo corporis ad campos elyſios migrauit. luna enim intra 12. gradus caudæ draconis copulata erat, pars mortis 14. libræ occupabat. propterea hæc ratio cum aliis non eſt aſpernenda. quia dicta pars eſt lunæ, Marti, & Saturno copulata.

Ex noſtro ſchemate hoc extrahemus ſcholium.

Luna librã permeãs Saturno & Marti iuncta, eſt lethalis.

Vndecima obſeruatio.




Quidam paſtor decubuit in primo galli cantu, id eſt, media noctevel circiter, 29. Decembris 1549 luna 22. tauri partem peragrante cum pleiadibus in domo Martis coeunte in necem occubuit iſte paſtor, ſole, Saturno, & ioue ſuos orbes lunæ obiicientibus à Marte, venere, & Mercurio ſegregatæ, hora enim decubitus lethalis erat quia luna 8. locum occupās tempore cœpti decubitus cum pleiadibus partiliter coibat.

Ex figura antecedente hoc edoceberis axiomate.


Luna pleiadibus potiſsimum in domo mortis iuncta, in eadem parte, mortem obnunciat.

Duodeci. obseruatio.



Quædam iuuencula, die 15. Ianuarij in ortu phœbæo,

vel circiter decubuit, 1550. Saturno domino horoſcopi 2. gradum aquarij poſsidente ac à ſole concremato aſcēdente, iſta iuuencula ante tetragonum, naturæ conceſsit. cauſa mortis decernitur ex orientis domino in aſcēdente cōbuſto, licet Saturnus per 2. gradus ante orientem aſcenderet. nihilominus computatur in aſcendente combuſtus, vt explanatiùs in figura ſequenti dicemus.




Quædam mulier viribus ſe deſtitutam ſenſit 20. minutis ante ſolis ortum, vel circiter 1543. die 12. Iunij, Mercurio domino aſcendentis concremato à ſole, Marti copulato. hæc ſolis & martis ſynodus damnū infœlicius dicto orientis domino dedit. paucis poſt diebus fato conceſsit. cauſa læthalis ex Mercurio ſigni aſcendentis domino cōcremato proficiſcitur. nam (vt docet Abrahā Iudæus) do-

minus orientis in oriente combuſtus breuē vitam obnunciat, fortaſſe verò quiſpiam obiiciat de Mercurio orientis domino 2. gradibus ante horoſcopum incedente, vt manifeſtò per ſchema præcedens patet. Planeta autem eſt in angulo (vt tenet Bonatus cōſideratione 58.) aduſque cōplementum quinque graduū vltra cuſpidem cuiuſuis anguli. eam ob rem Mercurius eſt in aſcendente combuſtus. Ex his duabus figuris hanc extrahemus regulam.


Dominus aſcendentis in aſcendente combuſtus mortem prædicit.

Decimatert. obſerua.




Quidam lathomius febre nimium vehementi cum laterum dolore afflictus, decubuit. die 3. Iunij poſt ſolis occa

ſum marte 7. locum permeante, ſaturno in medio cœli culminante, vt præcedens figura demõſtrat, luna à morte ignito ad ſaturnum retrogradè incedentem, & ad ſolem tranſitum faciebat. hæc irradiatio morbum prædictũ & dolorem denunciat, vt apud Galenum legitur cap. de ſchematibus lunæ in cancro: maleuolæ enim cardinantes huius ægri in locum demortui ſucceſsionem pariter obnuntiat, quod vſu ita venit. Haly parte 2. ibi. Parabole ſapientum, docet vtrunque maleficum in aſpectu lunæ, vel eius domini, in cardinibus collocatum omnino mortem obnunciare: luna in hoc ſchemate eſt marti & ſaturno cardinantibus copulata.




Quædam obſtetrix febre inardeſcente cum morbo laterali laborãs, decubuit hora 10. mane die 19. nouẽbris 1550. Luna 12. arietis partem inambulans, ſaturnum & martem

cardinantes videbat.Ipſaque luna ad quadrangulam ſtationem accedens,ſolem & mercurium , ſuorum antiſciorum gratia,& martem retrogradum,conſpiciens vehemẽter vexata fuit.Ipſa luna ad medietatem aſpectus poſt tetragonum accedente,ſol,Iupiter,mercurius & venus lunæ ſua dabant ſchemata, ex hac radiorum proiectione aliquam morbi leuationem accepit:ac de eius incolumitate, nõnulla amicos huius ægrotæ ſalutis ſpes cœpit,luna diametrãte ſolis,ſaturni,& martis radio munita,à venere ſequeſtrata,ac ad iouem,& mercurium applicita, mortalitatem expleuit:quia vtrunque maleficum morbo initiante cardinabatur.



Allanꝰ colemõdus decubuit 9.die aprilis hora 3. mane vel circiter.1554.luna à marte,& venere ſe ad ſaturnũ trãsferẽte in quadrãgula irradiatione marti copulata, orbatꝰ fuit

vita iste æger: causa præcipua, ex Saturno, & Marte cardinantibus decernitur: non parũ dubij, præsens schema affert: Abrahamus Auenesra in introductorio edocet: quãdo planeta est in domus initio adusque 15: gradus est valde potens, propterea nõnulli tenuerũt, planetam vltra dictos 15. gradus collocatum imbecillem esse. Bonatus cõsideratione 59. post Ptolemæum, tenet nullam partem alicuius domus expertẽ virtutis remanere: propterea omne sydus aliquod domiciliũ percurrẽs, vt nobis tradit dict⁹ Bonat⁹ dicitur esse in illo domicilio ab exordio ipsius domus vsq; ad eius terminũ. Bonati sententia, hac in crisi cõprobatur.




Rector ecclesiasticus sancti Dionysij de insula bona, die 5. Augusti hora 10. post meridiem decubuit 1550. luna ad triangularem radiationem accedente, & cum capite draconis intra 2. gradus coeunte, animam edidit, mortis cau-

ſa Saturno in medio cœlorũ culminãti ac marti in oriente poſito aſsignatur, & lunæ cum dicto capite coeunti.


Vxor cuiuſdam calceolarii minuto ante ſolis occaſum 22. vel circiter decubuit die 14. auguſti 1551. quarto libræ gradu martem ferente, in angulo occidentali conſtituto, ac Saturno 18. Aquarij partem occupante, ſub angulo orientali ſupputata. Eam ob rem predictæ infortunatrices angulos permeabant. Niſi ægritudo in periodicam verſa fuiſſet, Saturnus, & Mars cardinantes, hanc ægrotantem letho dediſſent.

Ex ſchematib⁹ poſtremo deſcriptis hæc dabitur inſtitutio. Vtrumq; maleficum angulos permeãs interficit exploſis nonnunquam morbis conuerſiuis.


Decimaquar. obſerua.



Gaſpar Rouſſelus intentiſsimum perpeſſus dolorē decubuit die 4.auguſti 1551. aliquantiſper poſt ſolis ortum, ſole horoſcopi domino 21.leonis occupante, a ſaturno 6. loci domino, contra ſignorum ordinem meante ſauciato, luna ad primam aſpectus medietatem ac primū ad hexagonum appellente, à Saturno quadrato obtutu improbæ laceſsita, vehementer afflictus fuit iſte æger: poſt hac ante triangulum in fata conceſsit. Quum ſigni aſcendentis dominus eſt domini 6. aut 12. inuidia læſus, ipſis in leone vel in aquario immorātibus: ægrotans deo, naturæque cōcedit.




Quædam mulier febrem perpeſſa cõtinuam decubuit, hora 9. mane die 24. Ianuarii 1550. ſole almuten ſigni aſcendentis 15. aquarii gradum perambulante cum ſaturno cœunte 3. aquarii gradum peragrante ac 12. habitaculi domino. ideo à Saturno ipſius 12. habitaculi hoſpitatore cõmaculatus erat, luna anguli terræ domina 25. oriẽtis poſſidens à ſole, & Mercurio, ad ſaturnum iter habebat: hora verò cœpti decubitus fatalis erat. quia ſol almutẽ ſigni aſcendentis à domino 12. domicilii infœlicitatis onere pregrauatus erat: eam ob rem iſta mulier luce orbata eſt.




Quidam iudex Calidobocēſis aſsiduam febrim paſſus, media circiter nocte decubuit die 13. Iunij 1551. Mars domi nus naturalis primi huius figuræ loci, à Saturno 12. domicilij hoſpitatore ſauciatus improbè erat in tetragona ſtatione, venus nullius habitaculi maligni domina, è diame tro lunam intuebatur. propterea vtcunque ſe fœliciter ha buit in hexagona ſubſequenti: ſol, Iupiter, Venus, & Mercurius orbes ſui luminis lunæ obiiciebāt: quaproptet iterum vtut ſe habuit citra naturę aliquam operationem, luna diametralem radiationem ſubeunte , ſol Saturnus ſui antiſcij iaculo, Iupiter, Mars & Mercurius ſuis ſchematibus lunam pulſabant: prædicta ſtellarum radiatio conſultis prius medicis ſumptoq; medicamento nihil præſidij attulit: quare ægritudo hæc morte diſſoluta fuit, decubi-

tus enim mortifer erat, quia dominus aſcendentis improbè à domino 12 domus laceſsitus erat. & vt rem omnem paucis complectar, ſi in diebus decretoriis quatuor ſydera, aut plura ſuis orbibus muniunt lunam, ad ſalutem proſunt, ſi ægritudo eſt ſalutaris: ſi verò lethalis, minimè morbum reſoluunt, vt hîc euidentiſsimè patet.




Famulus cuiuſdam latronculatoris, febre venenoſa, & peſtifera oppreſſus decubuit 4. die auguſti hora 7. mane, minuto. 30. 1553. Mercurius ortiui cardinis dominus, 16. leonis gradum permeans, à ſole 21. leonis occupāte, ignitus erat: propterea hic famulus ſpirare deſiit: luna ad martem 8. loci hoſpitatorem, breue vitæ tempus decernētem, accedente, inter viuos eſſe deſiit. dictus ſol erat 12. domicilij dominus: eam ob rem dominus aſcendentis à domino 12. domus inoptatè oppreſſus.




Quædam honesta mulier morbo molestissimo decubuit 1552. die 28. septembris hora 1. pomeridiana minuto 30. luna tetragonum pertingēte in morbo desperata fuit: quia saturnus, & Iupiter eodem schemate lunam videbant (vt supra dilucidè est expeditum) quando beneficū & maleficum, in die iudiciario suum splendorem porrigunt lunæ, signum mali iudicii afferre solēt: dein ad triangulum appellente, sole, Saturno, Ioue & venere bonum & benignum testimonium lunę commodantibus, aliqua ex parte ægritudo hæc lenita fuit: postremo dicta 4. sydera in diametro suos radios lunæ obiiciebant: quocirca suffragio 4. istorum sydeꝝ huic ægrotanti astante inde tantum leuamentum accepit, vt ex illo incolumitatem cōsequuta sit. Iupiter 12. domicilii hospitator, tempore cœpti

decubitus in leone poſitus contraria radiatione Saturnum retrocedentem conſpiciebat, nihiloſecius ab hoc languore erepta fuit hæc mulier, quia documentum quod tradidimus de domino orientis à domino 6. vel 12. domicilii inoptatè læſo, nequaquam inuerti debet. Iupiter enim dominus 12. domus ſuis ſchematibus etiam aduerſis, non lædit Saturnum, ſed Iupiter verberibus radiorum ſaturni infœliciter percutitur.



Quædam ſarcinatrix flagrante occupata febre decubuit, hora 6. mane minuto 30. die Iulii 4. 1549. ſol primi cardinis dominus, 22. cancri gradum peragrabat, ſaturno 6. domicilii hoſpitatore 26. capicorni gradum poſsidēte: Ideo ſol dominus ſigni aſcendentis è diametro ſaturnũ retrogradatione vexatũ ac dicti 6. loci dominum videbat: luna ad diametralem radiationem veniente fœlices ſanitatis ſucceſſus accepit hæc ſarcinatrix: quia dominus

aſcendentis, & dominus 6.domus minimè fuerũt in leone vel aquario inuẽti.Id quod eſt neceſſum. Quemadmodum experientia huius diſciplinæ magiſtra me docuit.



Vxor cuiuſdam textoris, morbo periodico decubuit, hora 6.mane die 15.auguſti 1551.mercurius orientis dominus,e diametro ſaturnum 6.domicilij hoſpitatorẽ regreſſu vexatum videbat.quam ob rem mercurius ſigni aſcendẽtis dominus,aduerſa radiatione à ſaturno improbè afflictus erat,cum lunę teſtimonio,licet prædicti domini orientis & 6.loci perambulaſſent leonem & aquarium, nihiloſecius iſta ægrota cõualuit nulla ſumpta medela, quia decreti effectus de domino orientis, à domino 6. domus vel 12.infœlicitate depreſſo, locum ſemper non habet in morbis periodicis.

Vt amplissimus exercitationis cāpus è schematibus superscriptis prębeatur, hoc lectores informabuntur apotelesmate.

Dominus orientis in leone vel aquario constitutus à domino 6. domicilij vel 12. infœlicitate depressus in prędictis signis collocato, id est in leone vel aquario, mortis iudicium affert.

Lectores candidos haud vulgariter rogatos velim quominus opusculum nostrum in sinistram partem accipiant quoad in nostrarum obseruationum operibus animū aduertant. nihil enim à vera praxi & documentis quæ commemorāt Ptolemæus, & Abrahamus Anenesra cæterique nostri vates, alienum comperient. ideo si veritatis studiosus quis existat, sophistarum nugis relictis, ad experientiā veniens nonnihil frugis ex nostra recensione consequetur: solum (ita me deus amet) id quod experimentis mihi exploratum est, memoraui. Quemadmodum hoc in opere satis à me demonstratum est, huiusce rei experientia fidem faciet: ego nisi fuissem grauis annis & ætate iam confecta, non ante annos nouem fuissem in lucem editurus nam & adiecturus eram, ea quoque quæ experientia comperissem, sed volui alijs fenestrā aperire & (vt veteri ꝓuerbio dicitur) glaciem scindere: maioremque habui rerum curā quam verborum, ideo, beneuole lector, si lubet non iam expendes quantum ornatè quàm quantum verè sum loquutus: quicquid tamen à me scriptum est lubens submitto iudicio ecclesiæ & doctorum.



Hermes aſtrorum indagator ſolertiſsimus, ſcriptum nobis relinquit, aphoriſmo.20. tribus modis præſciuntur accidētia hominum, vel ex natiuitate propria, vel primogeniti filij, vel ex interrogatione cum affectu & ſolicitudine cognita. Et Almanſor enūciato 42. vniuerſalis quæſtio aſsimilatur natiuitati, igitur annos reuolue, & ſecundum eos iudica. Quando mercurius in propria domo fuerit, cum ſole, vt atteſtatur Albubather. c.27. de ſcientia nati, in proprio decano exiſtente philoſophiam denunciat: & loco citato ait Albubather ipſe. Quando mercurius eſt in ſuo hoſpitio beatitudine decoratus (vt præcedens ſchema demonſtrat) librorum & ſcientiæ ſyderalis natus erit amator, earumque rerum difficilium commētator. Quod defluxus lunæ teſtimonio à mercurio in iouem in contubernio ipſius mercurij poſitum cōprobatur. Rerum enim abſconſarum inuentionem denunciat huiuſmodi defluxus, vt ſcribit Iulius maternus lib. quarto. c.7.

FINIS.

Hermetis trismegisti RATIO IVDICANDI DE MORBIS ET INFIRMORVM decubitu ex mathematica scientia ad Amonem Aegyptium.


IN deiectione seminis humani ex 7. stellis radij implicantur, in vnoquoque hominis membro, similiter quoque & in exitu secūdum 12. signorum zodiaci posituram. Aries enim caput dicitur. capitis autem sensoria, 7. planetis tributa sunt. dexter enim oculus soli tributus est, sinister lunæ, auditus ♄, cerebrorum ♃, lingua atque guttur ☿, odoratus atque gustus ♀, reliqua denique sanguinea ♂. Horū igitur si quis malè positus fuerit in satu aut natiuitate, in mēbro ei cognato oblæsio gignitur. Quatuor autē sunt generales partes in homine, caput, thorax, manus, & pedes: quarū vnaquęque satus aut natiuitatis tempore aliqua ex parte debilitata est, cum stella quæ ipsi dominatur in malefica positura esset: veluti oculus vnus, aut etiam duo, vel etiā auditus, vel dentes aliquid passi sunt: quin etiam sermo impeditus est. Perspicuum enim est radium malefici, cùm in horum quempiam impetum fecerit labefactasse: similiter & in thorace, aut pulmo affectus est, aut hepar, aut splen, aut cor, aut aliquid eorū quæ sunt in intestinis: & in manibus similiter, & in pedib⁹. aut enim digiti, aut vngues aut aliqua eiusmodi partiū præ cognatione afficitur. Oportet ergo vt in his quæ possunt curationē aliquā assequi, etiam auxilia congruentia admoueant ij qui contra morbū pugnant. Igitur refrigerantia omnia ac extenuantia ♄ accōmodaui, atque ☿ qui natura glaciales flatuosiq; sunt. Ca-

lefacientia autem & replentia ♂ qui acutiſsimus & ignitus atque ſanguinarius eſt. Conciliantia verò, & glutinantia, atque omne vlcus depaſcens ſiſtentia, roborantiaque ♃. atque ♀. Luna denique ad quācunque ſtellā ſiue beneficā ſiue maleficā acceſſerit, illius poteſtati ſe ſociā adiūgit. Ei igitur qui medicā ſcientiam profitetur cōtemplāda eſt mundana diſpoſitio & ſtellæ, quomodoque inter ſe habeant: quoniam abſque harum complexu nihil in rebus humanis fieri poteſt. Neque acuti morbi, neque circulares nec ab arte medica vllus ſeruatur: nec qui curę habitus eſt diligenti, incolumis euadit aut moritur. Igitur medicus ægri decubitum explorare debet, qua hora fuerit: ſi verò non poſsit accuratè deprehendere horam, in qua morbus oblatus eſt, ſumendum atque conſtituendum thema eſt, ac conſiderandum qualiter mundus affectus eſt, & ad quam ſtellarum luna rationem habet, an oppoſitam, an quadratam, vel qui cum verſetur. Cum maleficis enim ſi conformetur, noxium morbum facit: cum beneficis autem, maximum auxilium affert. Præterea & hoc noſſe oportet, vtrum luna augeatur nuneris, lumine autem deficiat, an contrà, an etiam vtroque creſcat, an vtroque deficiat. A coniunctione enim & lumine & nuneris aucta quadratoque aſpectu martis affecta, aut in ipſum ſi feratur vſque ad immutationē oppoſitam, periculoſos & lethales morbos ſignificat, nullo planeta benefico interuenien te: ſi enim aliquis horum interueniat, grauis quidem morbus erit, ac prope lethalis: ægrotans verò ſeruabitur. Luna autem deficiente & numeris, & lumine, maximè ſaturno oppoſita ex diametro, aut quadrangulo aſpectu affecta niſi poſt immutationem diametri leuetur morbus, periculoſus erit & lethalis. Si benefici autem implicentur, vbi laborauerit aliquandiu, ſeruabitur. Præterea autem aduertendum, quod quantum luna creſcit numeris, tātum augetur morbus: cum verò numeris deficere cœperit, in melius incipiet etiam morbus procedere: ac conſtat, ſi creuerit numeris, morbum quoque auctū iri, donec internexū

ſolue-

ſoluerit. Sic enim in meliùs conuertetur. Eſto autem eiuſmodi conſideratio in omni corporis aggreſsione. Qui enim ſub ſaturno & mercurio decumbunt, ſegnes erunt & tardi ad mouendos artus & totum corpus à frigore & reumatiſmo, paulatim morbum demonſtrante: ac tardè excitabuntur, exili voce & meticuloſi erunt: ſeipſos fouebũt veſtimentis, ac lumen refugient, & crebra ſuſpiria ducent lentè reſpirantes, paruis pulſibus, & auxilium calorem ducentes, ac per pulſus oſtendentes ſe deficere ac eſſe languidos, ac in ſuperficie corporis refrigerati. vti igitur in his oportet calefacientibus ac laxãtibus quæ aſtricta ſint. Qui ſub ♂ & ☉ decubuerint, agitabuntur & ſeſe iactabunt, corporis ſuperficie ardentes, & quaſi poſiti extra ſe, exiliẽtes, in familiares iracundi, & vociferantes, oculis ſine verecũdia intuentes, ſiticuloſi, lingua aſpera, cupiẽtes vinum bibere atque aquam frigeſcentem, balneóque vti intempeſtiuè: cibum verò faſtidiẽtes, linguaque aſsiduè in omnes complodentes, parui pulſus etiam his ſunt & inordinati, rubicundi facie, & tumidi corpore. his conferet ad quintum vſque diem ſanguinis detractio, & quæ ad contrahendum valent, & ad tumorem auferendum, & quæcunque natura ad cogendum prompta, oppoſita his adiumẽta reperit: ſaturnalibus quidem martialia, id eſt quę calefaciũt, relaxant & aſtrictionem ſoluunt: ſaturnalia verò martialibus, hoc eſt quæ refrigerant, quæ reſtringunt & repellũt: morbi autem cordis, artuum & arteriarum & huiuſmodi, à marte & ſole fiunt: aſtringentes autem febres, morbus lateris, & pulmonis, & quotquot ſunt huiuſmodi morbi, ſub ſaturno atque mercurio fiunt. His igitur contrariè refrigerantia, vt ſolanum, veneris vmbilicus, farinæ hordei, coriãdrum, ſeris, papaueris ſuccus, radicis halicacabi cortex, polygonum, ſemperuiuum, pſyllium, lenticula aquatica, folia vitis, ceruſa, lithargyrus, lapis hæmatites, portulaca, albumẽ oui, lini ſemen, calamus, folia maluæ, malũ punicũ, hypocyſtis, cypariſſus, hederæ folia, rubus, acacia, mala cydonia, pira, pira ſylueſtria, alumen, œnãthe,

dactyli,glandes,myrta,thus,rosæ virides,laurus,lentiscus, ladanum,crocus,potamogeton. hec omnia sunt refrigerantia cum suis correctionibus

De calefacientibus.

CAlefacientia autem sunt quibus mars & sol dominantur:ac alia quidem multa sunt, inter quæ est oleum cyprinum,omniaque odoris grati,vt vnguentũ irinum,cinamomũ,sampsucum, narcissus,fœnum græcũ, nardus,myrrha,bdellium,styrax,cera,ocimum, cuminũ, pix cruda & cocta, seuum,medulla,galbanum,iris,casia, spica nardi,thus,ammoniacum,ruta,glans vnguentaria, caricæ,coccus cnidius,aphronitrum, vua taminea, asius lapis,Cyperus,vrticæ semen,halcyonium,elleborus, pyrethrum,æris squama, chrysocolla,cepa,allia,porrum,raphanus,cicer. His igitur medicus vtitur, ac aliis quæ his similia calefaciendo sunt & relaxando, in quibus decubitus sub saturno & mercurio fuerit,aut alius quispiam affectus his sub illis accidat,prout luna demonstrat. Refrigerantibus autem & repellentibus, in quibus sub marte & sole decubitus fuerit,aliúsue quispiã affectus prehẽderit.

hec omnia sunt calefacientia cum suis directionibus

☽. in ♈. figura

Quãdo igitur decubuerit aliquis,cùm luna est in ariete ♄.dimetiẽte vel quadragulãte,vel ipsi cõiuncto maximè numeris diminuta,ac lumine destituta principium morbi à refrigeratione est: & hoc manifestum erit ex capite. erit enim in eo grauitas ac in oculis,& brãchi,& in thorace humorum defluxus,pulsus tenues & inordinati, nocturnæ intensiones,& in profundo caliditas multa:superficies verò refrigerata,& extrema vndique frigescẽtia,& deliquium animi, inappetentia,& intempestiui sudores.his conueniunt calefacientia atque relaxantia,& aluum soluentia:sanguinis verò detractio inutilis. Aegrotãs neque benefico se cum luna implicante neque ex quadrato,neque ex diametrò ipsam respiciente nõ exuperabit, sed morietur:bono autem sese implicãte cum ea, æger magnopere seruabitur,aut ex hoc morbo in alterum traducetur,in nocturnas illapsus exacerbationes.Si autem etiam mars eandem figuram obtineat ad lunam,non effugiet quin moriatur ad diametrum vsque.

☽. in ♈.

Si autem cùm luna eſt in ariete, decubuerit quiſpiam, ad martem & ſolem ita conformata, à capite morbus erit: idque manifeſtũ erit, ex hoc quòd meninges diſſolui videantur. erunt autem & febres continuæ, & vigilia, ac os æſtuoſum, immodica ſitis, turbulenta lingua, thoracis ardores, epatis inflammatio: pulſus elati & inordinati. His vtilis erit ſanguinis detractio, & applicatio eorũ omnium quæ refrigerare & mitigare poſſunt. erit autem morbus delirium, & phrenitis. Sic ægrotãs, nullo benefico præſente cum luna, ſed ſaturno ſe cum ea implicante, vſque ad oppoſitionem morietur, aut in quadrato & maximè numeris creſcente luna: ſi autem beneficus lunam aſpexerit, periclitatus ſeruabitur.

☽. in ♉.

Si verò cùm luna eſt in tauro, decubuerit aliquis, & ſaturnus ſit in oppoſito aut quadrato, aut cum ipſa coeat, maximè priuata numeris, ac lumine deſtituta, principium morbi erit ex crapula & plenitudine: eruntque aſtrictæ febres, hypochondriorum dolores & articulorum: pulſus elati & inordinati, ac totius corporis inflammatio, & peripneumonia. His igitur confert ablatio ſanguinis, atque omnia quæ habitudinem auferre poſſunt. benefici autem planetæ niſi ſe implicent cum ea, qui ſic ægrotat ad oppoſitionem vſque, nõ effugiet quin moriatur: beneficis autem præſentibus, atque lunam inſpicientibus periclitatus ſeruabitur. Si autem cũ luna in tauro eſt decubuerit aliquis, marte cum ipſa cõgrediente, aut in oppoſito aut in quadrato, morbus erit ex plenitudine ſanguinis: erũt verò febres cõtinuæ, & totius corporis cõſtipatio, colli acceſio, oſsiũ dolor, vigiliæ immodicæ, & appetentia vini & frigidorum: his ſanguinis ablatio vtilis eſt, atq; omnia relaxantia. Sic igitur habente ſe marte nulla ex beneficis implicante ſeſe, nonum diem non euadet: benefico autem conformante ſeſe, ſexto die ſeruabitur.

☽. ♊.

Cum autem luna eſt in geminis, ſi decumbat quiſpiam, ſaturno congrediente cum ipſa, aut ex quadrato aut è diametro aſpiciẽte, principium morbi erit ex vigiliis, aut itinere, & maxime ſi luna priuetur lumine. Egredi articuli vidẽtur, paulatimque morbus apparet aut etiam à tertio die augeri incipit in triceſimum vſque diẽ. Erunt autem tenues febres, extenuatio totius corporis, intẽſiones nocturnæ, pulſus tenues & parui, ſudor & dolor ſplenis. Inſpiciente autem marte aut eandem figuram obtinente. poſt triginta dies infirmus morietur: beneficis autem præſentibus, ac concordantibus

cum luna in diuturnos morbos incident, veruntamen seruabuntur.

☽. in ♊.

Si autem cùm luna in geminis eſt, decumbat quiſpiam marte coeunte aut quadrangulante, aut opponente ſeſe, luna autē augēte ſeſe & numeris & lumine, morbus erit fallax & periculoſus. Erunt enim febres cōtinuæ, obſtructiones, ardores, pulſus elati & inordinati. His proderit ſanguinis detractio. Si autem beneficus lunā non inſpexerit, ad diametrum vſque morietur: eandem figuram ſaturno impediēte, ſi verò benefici lunā aſpexerint p ericlitat⁹ ſeruabitur.

☽. ♋.

Cùm verò luna in cancro eſt ſi decumbat quiſpiā, ſaturno coēūte, aut oppoſitionem, aut tetragonum porrigente, principium morbi erit ex balneo & refrigeratione etiam, aut ad thoracem fluxus erit, tuſſes, conſtipationes, febres tenues. His proderunt omnia calefacientia: beneficis autem non aſpiciētibus lunam, ſed maleficis atteſtantibus, mala perpeſſus, tandem obibit.

☽. ♋.

Si verò quis decubuerit cùm luna eſt in cancro, cui mars etiam præſens iungatur, aut tetragonum aut diametrum obiiciat, principium morbi erit aut à ſanguine & cholera & ventriculi ſubuerſione. His conuenient omnia refrigerantia: ſi verò beneuoli non inſpexerint ad primum tetragonum obibit: ſin bonus aliquis lunam inſpexerit, poſt primam radiationem tetragonam, ſeruabitur.

☽. ♌.

Si cùm luna eſt in leone, decūbat aliquis, ſaturno cū ipſa coēunte aut tetragonum, aut oppoſitionem ad eam habēte, prima morbi origo erit ex ſanguinis repletione, & caliditas erit circa totū thoracē, hypochondriorū intenſiones, febres intenſæ, & pulſus, & in profundo æſtus & in ſuperficie. His cōuenient omnia calefacientia, & aperiētia, quòd ſi beneficus aliquis lunam nō inſpexerit, ad diametrum vſque morietur: ſi verò benefici aſpexerint lunam, vbi mala pertulerit, ſeruabitur.

☽. ♌.

Si cùm luna eſt in leone, decumbit aliquis, cui mars vel præſens iungitur, vel tetragonum, vel diametrum obiicit, principium morbi ex plenitudine ſanguinis erit, febres aderunt cum fluoribus alui, pulſus debiles, deliquium animi, faſtidia ciborum, grauitas, & in ſomnum propenſa delatio, ac languor totius corporis, cardiacique affectus. His proderunt omnia quæ aſtringunt ac refrigerant.

Quòd si nullus bonus lunā inspexerit, ad nonū diē vsque morietur: si verò boni inspexerint, ad diametrū vsq; periclitatus liberabitur.

☽. in ♍.

Cùm luna in virgine est, si decumbat aliquis, si saturnus cū ipsa sit, aut diametrū, aut quadrangulū obiiciat, principiū morbi erit à tarda coctione & cruditate in vētriculo, in intestinis tormina & in hypochōdriis, & febres strictę, & inęquabilitates. His conuenient omnia calefacientia & relaxantia. quòd si beneficus eam non inspexerit circa decimum diem quartum morietur: si verò benefici lunam inspexerint, incolumis ac saluus diu ægrotabit, veruntamen multa perpessus.

☽. in ♍.

Si cùm luna est in virgine decūbat aliquis, cui mars vel præsens adsit, vel diametrū vel tetragonū porrigat, principiū morbi erit ex alui fluxu intestinorumque vlceratione, febres tenues & cū multo fluxu: pulsus debiles & crebri, inappetentia & ventriculi subuersio, his proderunt omnia astringentia, quòd si beneficus lunam non inspexerit, 30. die morietur: sin boni aspexerint, seruabitur.

☽. ♎.

Cùm verò, si decūbat aliquis, in libra luna fuerit cui saturnus vel præsens iūgatur, vel tetragonū, vel diametrū porrigat, prīcipiū morbi erit ex ebrietate & crapula, & maximè si minuatur lumine, & numeris, & nocturnus fiat decubitus. Erunt autem & in capite, & in thorace affectus & fluxus, tusses, brāchi, grauitas circa pectus, inappetētia: noctu binę accessiones, assidui labores, imbecilles pulsus. His quadrabunt calefacientia omnia. Quòd si luna non possit videri ab omnibus moueatur autem maximè, cùm in diametrū venerit, ac accessionē fecerit, soluit morbū. Si verò in masculina moueatur quousque circulū vesperi attigerit, ægrotans inæqualiter, & crebrius sese exagitās, saluus erit. Si verò cùm vix mouetur ac non cōspicabilis est, aut crescendo aut deficiendo aut alio quouis modo sanguis fluxerit, his periodus morbum soluet: pallido tamē aut nigro colore diutius permanebūt, at nihilominus seruabūtur, si verò mars eandē figurā obtinuerit in tetragono, citra dubiū morietur.

☽. in ♎.

Si verò cùm luna est in libra, decūbat quis, marte subeūte ipsam aut tetragonū, aut diametrū obtinēte, morbus erit à plenitudine sanguinis: febres aderūt intēsæ, pulsus elati, vigiliæ, inflammatio circa totū corpus. His conueniet sanguinis detractio, omnia habitudinē

amoliri valentia: benefico autem eam non aſpiciente, periclitabitur vſque ad diametrũ: ſin beneficus inſpexerit, periclitat⁹ liberabitur.

☽. in ♏.

Cũ luna eſt in ſcorpione, ſi decũbat quis, Saturno coeũte cũ ipſa, aut diametrũ aut tetragonũ porrigente, principiũ morbi erit ab vlcere, aut bubonibus, aut locis occultis, hoc eſt, ab ano aut pudendo. ſi igitur luna augeatur numeris & lumine, liberabitur æger.

☽. ♏.

Si cum luna eſt in ſcorpione, marte congrediente, vel tetragonum aut diametrum habente, cum tamen deficit lumine & numeris, beneuolo inſpiciẽte liberabitur. Idem modus obſeruetur in hoc ſigno zodiaco, qui & in reliquis, ſiquidem eaſdem figuras luna habuerit.

☽. in ♐.

Cum luna eſt in ſagittario, ſi decumbat aliquis, Saturno cum ea coeũte, tetragonum aut diametrum offerente, principium morbi erit ex fluxu & ex tenuibus & acribus fluentibus, dolores in articulis, rigores & febres, extremorum refrigerationes, & maxime luna numero & lumine minuta. Duplicibus enim acceſsionibus capietur. his quadrabunt aperientia, & calefacientia: quòd ſi beneuoli lunam inſpexerint, periclitatus liberabitur.

☽. in ♐.

Si cum luna in ſagittario eſt, ſubeunte marte, tetragonum vel diametrum obiiciente, lumine aucta & numeris, morbus erit periculoſus, erit enim à plenitudine & crapula. eruntque febres cum fluxu, cholerici affectus, alui fluxus, debiles pulſus. His conuenient omnia refrigerãntia & aſtringentia. ſi verò bonus non inſpexerit lunam, ſeptimo die morietur. ſin bonus inſpexerit, ad diametrum vſque periclitatus liberabitur.

☽. in ♑.

Si quis decumbat cum luna eſt in capricorno minuta lumine & numeris, cui Saturnus præſens iungatur, vel tetragonnm, vel diametrum porrigat, principium morbi erit à refrigeratione balnei & defluxionibus tenuibus, grauitas circa thoracem & pulmonem, tuſsis, intenſiones nocturnæ, febres intenſæ. his congruent aperientia & calefacientia. quòd ſi beneficus lunam inſpexerit, erit morbus diuturnus, non tamen morietur.

☽.in ♑.

Si cùm luna eſt in capricorno, decumbat aliquis, marte ipſam ſubeunte, vel tetragonum aut diametrum obiiciente, principium erit morbi à vomitu & cholera, aut tarda coctione. erit verò morbus periculoſus, inappetentia, neruorum conſtrictio, fluxus ventris, acrimonia circa anum, & vlceratio: febres aſsiduæ & cum fluxu: debiles pulſus, circa thoracem exæſtuatio. His congruent cohibentia & conſtringentia. Quòd ſi beneuoli lunam non inſpexerint, in diametro morietur: ſin boni, poſt diem. 7. ſeruabitur.

☽.♒.

Si cùm luna in aquario eſt, decumbat aliquis, creſcitque vel deficit numeris ac lumine, & Saturnus præſens ei iungitur, vel diametrum aut tetragonum obiicit, morbi principium erit à laſsitudine, aut vigiliis, aut itineris defatigatione: eritque in intenſione & remiſsione, & ad diametrum vſque ſeruabitur, & maximè, ſi benefici lunam inſpexerint.

☽.♒

Si verò cùm luna eſt in aquario, decumbat aliquis, minuta lumine & numeris, marte ſubeunte ipſam, □ aut ☍ obtinente, morbus erit ex acutiſsimis affectibus: veruntamen periclitatus liberabitur à 19. die & maximè beneficis atteſtantibus.

☽. ♓.

Si verò cùm luna eſt in piſcibus, decũbat aliquis, lumine & numeris diminuta, ☌. ſaturno, aut ☍ aut □ habente, morbi principium erit à refrigeratione balnei, & defluxionibus: erunt enim homini frigora, crebræ febres, acceſsiones frequentes. conſtrictio & punctiones, & mãmarũ, & hypochõdriorum intenſiones. cõueniẽt his omnia calefaciẽtia & aperiẽtia: quòd ſi benefici non inſpexerint lunã, in ☍ morietur: bonis autẽ inſpicientibus, vbi luna ☍ præterierit liberabitur, veruntamen ſenſum circa neruos diuturnum habebit.

☽. ♓.

Si cum luna eſt in piſcibus creſcens numeris & lumine marte ipſam ſubeunte aut ☍, aut □ habente, erit morbi principium à plenitudine & vinolentia, propterea & morbus augebitur incrementis nocturnis: erit enim inflammatio corporis, cogitationũ peruerſio, mentis delirium, capitis afflictatio, febres ardentes, & vehemẽs ſitis, vini appetentia. his congruet ſanguinis detractio, omniaque valentia habitudinem amoliri. ſi igitur benefici lunam non inſpe-

xerint, in primo □. morietur. Si verò cùm luna eſt cum ♃ aut ♀ aut ☍ aut □ habentibus, etiam in quacũque parte zodiaci decumbat quis, vſque ad primũ □ aut ☍ morbum perpeſſus ſeruabitur. multum autem hora quoque confert in decubitu. Nam ſi fuerint in aſcendẽte, aut in medio cœlo benefici planetæ, luna cum malis verſante, optimum medicum adiuuabunt, ad vitæ ſubueniendum. Inquirere igitur oportet diem & horam decubitus, & conſiderare mundum quomodo ſit affectus. Nam ſine mundana contagione & conſenſu nihil hominibus euenit.

Finis rationis diiudicandi morbos ex mathematica ſcientia Hermetis Triſmegiſti.

PARISIIS,

Excudebat Andreas Wechelus, ſub Pegaſo, in vico Bellouaco, Anno Salutis

1555.

ꝑ aut
ecum-
r.mul
in a-
s ver-
. In-
erare
ne &

,in

